





OM 24/4

L. D. B. V.
DE

29

TER R I S J U R I S S A X O N I C I

Von
Denen Landen des Sächf. Rechts /
Und
Denen in das Sächfische Vicariat
gehörenden Enden /

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO,
ET RELIQUA
SUB MODERAMINE

D. MICH. HENR. GRIBNERI, P. P.
ACAD. h. t. PRO-RECTOR.
*PRO OBTINENDIS SUMMIS IN UTROOQUE
JURE HONORIBVS*

D. XIII. OCTOBR. M DCC XI.
H. L. Q. C.

DISSERT
AUCTOR
IO. EHRENFRIED MARTINI, Grunhanensis Mifn.

VLTEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.



ILLUSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
DN. ADOLPHO
MAGNO,
S. R. I.

COMITI AB HOYM,
Serenissimi ac Potentissimi Poloniarum
Regis Saxoniaeque Principis Electoris &
S. Rom. Imperii in terris juris Saxonici Regi Vicario
& Reliq.

MINISTRO STATUS INTIMO, TRIBUTORUM
REGIORUM PRÆSIDI SVMMO AT INSPECTORI
GENERALI,

MAECENATI SVO GRATIOSISSIMO,

Dissertationem hancce Inauguralem,
Cum voto omnigenae Prosperitatis demisso venerationis
cultu,



13A 1309

offert ac dedicat
subiectissimus
Cliens

JO. EHRENFRIED. MARTINI.



DE
TERRIS
JURIS SAXONICI.

I.

Duos *Germania Interreges* Saxonem & Palatinum universum Imperium olim non sejunctis provinciis, sed *jurisdictione* invicem *divisa*, administrasse, Palatinum circa civilia, Saxonem circa criminalia & res bellicas occupatum fuisse, tradit *Autor Germanie Principis*. (a) in *Palatin. c. 4. n. 1. p. 83.* (b) *edit. nov.* quæ hoc ipso anno iterum prodit.

Giov. sententia de finibus veriusque Vicariatus

A

II. Sed

(a) LUDOV. PETR. GIOVANNI. qui licet nomen suum dissimulare voluisse videatur: vid. *Prolegom. c. 4. § 86. & Præf. edit. nov.* proficitur tamen patriam sibi esse Sveviam, uxorem Friburgensem, *Sax. cap. 3. n. 7. lit. f.* Doctorem Academicum, & Principi præpotenti a consiliis esse colligas, ex *Proleg. c. 2. §. f. lit. d.* Dissertationes de Idolis Slavorum, & rebus Halensium in Svevia a se scriptas, indicat, in *Boruss. p. 543. Brunso. p. 71.* denique ut alia omittam, perinde atque Oldenburgerus Burgoldensem,

ita Giovanni ubique Ludwigiū laudat & sequitur, ejusque opuscula omnia etiam nondum edita, passim allegat & commendat. Caterum tantum abest, ut, quæ in præjudicium Domus Saxonicæ scripta sunt, in novissima hac editione emendaverit, ut novis potius accessionibus ea auxerit, & nonnulla etiam in deterius immutaverit.

(b) *Edit. prior. p. 165. add. eund. in Saxon. cap. 4. n. 3. p. 165. edit. prim. pag. 114.*

(c) Nam

II.

expendi-
tur.

Sed ita ille quidem censet, sententiam autem suam idoneis argumentis haud confirmat (c), quæ non dubia mihi modo, sed improbabilis omnino esse videtur, qui, *ante Auream etiam Bullam diversis quemque Vicarium terris præfuisse*, non una colligo ratione.

III.

Palatini
potestas
nunquam
fuit re-
stricta ad
causas
civiles,

Primo certum est, & liquido constat, *Palatinum in provinciis juris sui criminales etiam causas sibi vindicasse* (d). Jus banni enim tanquam Vicario Speculum Alamannicum ei tribuit (e), &, criminalem jurisdictionem olim competiisse, tabulæ privilegiorum (f), quæ supersunt, testantur.

IV.

nec Saxo-
nis ad cri-
minales.

Neque negari potest, *Saxonum Vicarios civiles quoque nec Saxo- nis ad cri- minales.* causam diremisse, saltem restrictam fuisse eorum potestatem ad

(c) Nam, quæ affert l. c. §§. seqq. excutiemus.

(d) Ergo non circa civilia tantum occupatus fuit, ut censet Vir Celeber. nec Saxo solus circa solas causas criminales.

(e) Cap. 42. §. 7. *Comes Palatinus jus habet banni concedendi trans Rhenum, &c. Et quavis Rex bannum ipsi non concefferit, jus tamen banni concedendi habet.* Ex quo loco colligere licet, (α) jam illo tempore Vicarios divitis provinciis res Germaniæ administrasse: (β) Palatinum jus banni concedendi habuisse, adeoque ejus potestatem non fuisse ad causas civiles restrictam: (γ) nec diversam utriusque Vicarii potestatem, sed æqualem ejusque in terris sui juris fuisse. Quamvis vero illud Capitulum de Vicariis absentis Regis agat; vacante

tamen solio non minus jus banni Palatinum habuisse, plus, quam probabile est. Saltem cum *Vir. Clar.* etiam a ratione muneris, quod duo Principes præsentem Rege sustinent, ad officium Vicariatus colligat, licet, puto, nobis a casu absentis ad casum vacuæ sedis inferre.

(f) Ne quis existimet, Palatinum non jus banni, sed tantum banni concedendi potestatem habuisse; privilegia Palatina nominatim *gladii potestatem, imperium merum, jus animadvertendi & exequendi in delinquentes & reos homines, eosque puniendi, deportandi, & ultimo supplicio addicendi* Comitibus Rheni Palatini tribuunt, atque *ita olim obtinuisse*, observatumque fuisse, tradunt. add. CUSPINIAN. in *Vit. Ludovici.*

(g) Non

ad causas bellicas & criminales, frustra asseritur, nullaque, vel probabili saltem, nititur conjectura (g).

V.

Vellem adduxisset, quæ se habere gloriatur (h), exempla, ubi *Rheni Palatinus in Saxonici juris regionibus quoad causas civiles Vicariatum exercuerit*, aut ubi Saxo in criminalibus potestate sua in terris Palatinis fuerit usus: Nunc, donec afferantur, dubitare ea de re nobis licebit (i): & si qua afferri possint, quæ extra ordinem aliquando contigerunt, non evincunt, semper ita & regulariter obtinuisse. Namque & unum quandoque Vicarium universo in Imperio munere suo functum esse, constat (k), neque tamen inde in alterius Vicarii præjudicium inferre licet.

An Palatinus in Saxon. causas civiles expedi-
verit?

A 2

VI. Ne-

(g) Non mihi incumbit probandi onus, Saxonicum Vicariatum ad causas etiam civiles pertinuisse. Præfuntio pro me militat, (1.) quia Palatinus utramque, licet ita loqui, jurisdictionem & civilem & criminalem exercuit. (2.) quia nunc ita obtinet, ut eadem utriusque Vicarii sit potestas; qui ergo olim aliter obtinuisse asserit, ab eo recte probatio theos suæ exigitur. (3.) Palatinus nunquam in Saxoniam civiles etiam causas decidendi potestatem habuit; de quo §. seq. Ergo Saxo, quem Vicarium fuisse, GIOVAN. agnoscit. Nec (4.) Palatia Saxonica subfuerunt Palatino Rheni, in quibus causæ civiles tamen dijudicatæ fuerunt, manifesto indicio, Palatino Rheni nullam in Saxoniciis terris jurisdictionem unquam competiisse: immo jam ab Ottone in Italiam abeunte Billingius Vicarius constitutus legitur *ad justitiam faciendam* per omnem Saxoniam & partes Imperii barbaris vicinas; quo ipso civilium causarum cognitio ei abs-

que dubio data fuit. Vid. ADAM BREMENS. L. 2. c. 4. add. SCHILT. de Investit. Simult. Princip. c. 4 §. 4. seq.

(h) in Palatin. l. c. p. 48. Ipse Rheni Palatinus (inquit), *ut loca habeo, in Saxoniam Vicariatum in civilibus exercuit*. At loca illa non addidit *Vir Clariss.*

(i) Ne ipse quidem Giovanni ait, loca se habere, ubi Saxo in terris Palatinis banni jus exercuerit, quod tamen ei per universum Imperium competiisse affirmat.

(k) Exemplo esse potest *Fridericus Sapiens*, Almæ hujus Conditor, Glor. memor, qui per universam Germaniam a *Maximiliano I.* ann. 1507. Vicarius constitutus interregiam potestatem etiam in terris Palatini Rheni absente Imperatore exercuit. Vid. BIRCKEN. *Spiegel der Ehren des Erzhauses Oesterreich* L. 6. c. 12. p. 1241. qui refert, eam ob causam id evenisse, quod a banno Imperii Palatinus nondum absolutionem impetrasset, eundemque per notarium protesta-

testa-

VI.

Etiam ante A. B. diversi utriusque Vicariatus fines fuere.

Neque credibile est, si prisca Vicariatuum conditio per Bullam Auream tam insigniter fuisset mutata, nullam ejus rei Carolum mentionem facturum fuisse; quin dudum terrarum discrimen obtinuisse, ex illa Constitutione non obscure colligitur (1): neque quando fines distingvi cœperint utriusque Interregis, & qua occasione, quibusve ex causis id contigerit, aut quisquam tradit, aut ipse *Giovanni* ausus est definire (m).

VII.

Expenditur argumentum Giovanni, ab Archi-officio utriusque Vicarii petitum.

Archi-Marescalli & Drotseti officium eum parum juvat. Nam si dederim ipsi, hujus curam præsentem etiam Cæsare ad causas civiles illius ad militum & criminum coercionem se extendisse (n), non multum tamen inde proficiet, cum

testationem interposuisse, ne ea res sibi, aut successoribus præjudicio esset. De Henrico Saxonie Duce, eodemque Rheno Palatino conf. TOLNER. in *Hist. Palatin.* c. 16.

(1) Ex verbis enim *A. B.* apparet, Carolum, dum Palatinum provisorum in partibus Rheno & Sueviæ & in jure Franconico declarat, non novum jus constituere, sed tantum privilegium sive jus, quod Comitatus causa ei dudum competebar, confirmasse.

(m) Quod provinciis nunc distinguantur, recentioris instituti est, inquit *Vir Clariss. l. c. p. 84.* Sed vellem indicasset, quo tempore mutata illa fuerint, qua occasione, quo consilio. De quo cum nullibi quicquam traditum legatur, omni tempore Palatini Vicariatuum ad certas terras, non ad causas restrictum fuisse, probabile est, & saltem, usque dum aliud evincatur, supponi potest. add. *dict. lit. g.*

(n) Nisi me omnia fallunt: ratio

præcipua, cui omnis *Viri Celeb.* conjectura innititur, perita est a diverso munere *Drotseti & Marescalli.* Sed sicuti, quæ de *Drotseto in Bojicis L. 2. p. 54. seq.* tradit, dubiis non omnino carent, & in primis incertum est, an Vicariatus jus huic muneri conexum sit, quod Palatini nunquam ipsi dabunt; ita ne hoc quidem hætenus probavit, *Drotsetum tantum circa causas civiles occupatum fuisse. Archi-marescalli* sane *amplissimum munus* fuit, quod ineptus sit, qui ad stabuli curam referre aut restringere velit. Inter belli Duces ille Principatum tenuit, gladius quoque, quem Imperatori prætulit, criminum coercionem ipsi competiisse, indicat, quod nec ipse *Vir Celeber.* dissimulare potuit. Non ausim tamen asserere, de quibuscunque criminibus Imperii nomine judicandi potestatem ad eum solum pertinuisse. Utcunque illa fuerint, colligi inde nequit, Vicariatuum Saxonicum ad solas

Archi-mareschallia Vicariatum Saxonicum niti, nondum expeditum sit (o:) quamvis nec ex Palatinatu certius origines ejus repeti (p), facile ipsi concesserim.

A 3

VIII.

solas causas criminales restrictum fuisse, cujus origines aliunde repetendas esse, paulo post indicabimus.

(o) Ducem Saxoniam, qua Archimareschallus est, Vicariatu Imperii defungi, censet *Autor German. Princip. in Sax. c. 4. n. 3. p. 165.* & fateor, plus habet sententia hæc probabilitaris, quam communis illa, quæ ex Palatinatu Saxonico hujus rei causam repetit. Rationes suæ sententiæ nullas adjecit. Sed bona fide subjiciam, quæ pro ea afferri possunt, quas ex lectionibus *Dn. Præsidis publicis ad A. B. c. 5. & Oratione Ejus de Origine Vicariatus Saxonici* collegi. I. Aurea Bulla Sacri Imperii Archimareschallum provisorum Imperii constituit. II. Jus Alamannicum Feudale c. 42. §. 6. *Regem*, ait, *Mareschallo dare bannum concedendi facultatem*; immo III. ipse Elector Saxoniam idemque Imperii Vicarius, D. Fridericus Sapiens in literis, quæ apud MULLERUM in *Reichs-Tags-Staat L. 5. c. 3. p. 725.* extant, Vicariatum Imperii sibi asserit *von wegen seines Erb-Amts.* IV. Sigillum, quo Camera sententiæ vacante Imperio muniuntur, insignia officii utriusque Vicarii Mareschalli & Dapiferi exprimere, notum est. Fateor, habent hæc aliquam veri speciem, sed obstant tamen alia, quò minus ei sententiæ subscribam. I. Non apparet, qui Mareschalli officio magis, quam alii Archi-Principum muneri hæc potestas cohareat. II. Archimareschallia non olim hereditario jure penes certam gentem, non omnitempore penes Saxoniam Duces fuit.

v. Ill. COCCEJ. c. 12. n. 4. sq. SCHILT. d. *Vicar. §. 20. p. 29.* nec tamen probabile est, alios, quam Saxoniam Duces, in his provinciis interregiam habuisse potestatem. Ad argumenta antea allata reponimus. I. Auream Bullam non Archimareschallum tantum, sed & Ducem Saxoniam nominare; & II. ad eum potissimum perinde ac jus Alamannicum provisionem Imperii referre. Conf. *Magnif. Dn. HORN. de Palatin. Sax. §. 20.* III. Nec constare, an per verba *Unser Erb-Amt*, Fridericus Sapiens Archimareschallatum intelligi voluerit, cum ipsa quoque Interregis potestas officium hereditarium dicatur. IV. Illo tempore jam Archimareschalli munus Ducatui cohasisse, adeoque facile contingere potuisse, ut, quæ Duci, qua Dux est, competunt, illa ei tanquam Archimareschallo tribuerentur. Unde V. nec in eruendis Vicariatus originibus sigilli Cameralis admodum rationem habendam putem, in primis cum olim aliud obtinuerit, & non muneris, sed provinciæ & gentis insignia sigillis Camera Vicarii inferuerint.

(p) De sententia communi, qua Vicariatus Saxon. jus ad Palatinatum refert, & Viris Summis *Frebero, Schiltero, Strauchio, Schurzfleischio, Coccejo, Tolnero, Hornio* placuit, dudum est, quod dubitare cœpi. Quamvis enim *falli eos omnes existimem, qui aut dispari conditione Rheni & Saxoniam Palatinum censent*, hunc Imperii, illum provinciæ Palatinarum fuisse, tradunt cum Ill. *Coccejo & Giovanni,*

VIII.

Olim quilibet Dux in sua provincia Vicarius fuisse videtur.

Si qua valet in antiquis & incertis originibus conjectura, Dux quibus olim sua in provincia vices Caesaris gessit (q) Saxo

vanni, aut expirasse Palatinatum Saxonicum, vel jura ejus ad Principes lineæ Ernestinæ. v. GIOVANN. p. 168. aut, si Diis placet, in Archiepiscopum etiam Saxoniam translata fuisse, somniant, contra quos alio loco ex instituto differendi erit occasio; Obstat tamen communi doctrinæ, I. quod nondum expeditum sit, an alter Vicariatus officio Palatini, an, quod verius puto, terræ, provinciæ inquam Rhenensi, sive, ut A. B. loquitur, Comitatus Palatinatus, cohæreat. add. TOLNERI Codex Diplom. n. 138. & 139. ibi: *super Principatum & super terras Palatinatus*. II. Quod Comes Gozecensis Sommerseburgici, alii que Palatii præfetti fuerint, quos nemo dixerit, Imperii Vicariatum sibi vindicare potuisse. (Quamvis, ut hoc obiter addam, sæpius dubitaverim, an non hi omnes Sub-Palatini tantum fuerint, Ducis Saxoniam substituti aut Vicarii.) III. Quia nec Landgravi Thuringiæ (procuratura enim Imperii huc non pertinet), nec Marchiones Misniæ, antequam Ducatum obtinerent, Vicariatus jus habuisse aut postulasse videntur. IV. Aurea Bulla Palatinatus nullam, sed Ducatus & Archimareschalliam mentionem facit. Singula hic persequi pro argumenti dignitate non licet; itaque satius est nihil, quam pauca, addere. Plenius ea de re egit Dn. Præses in d. Orat. de Orig. Saxon. Vicariat. Diss. novissime Autor. Clar., qui sub nomine Augustin. de Canusio

latere voluit, in den Bedencken von den Reichs-Vicariis, quod extat in der neuen Bibliothec 14. Stücke pag. 342. seqq.

(q) Tam absentis, quam defuncti. Loquor autem de *præfictis primi Ordinis Ducibus*, ex quibus præter Saxo-nem & Palatinum nulli supersunt. Ita enim conjicio, olim etiam Boio-ariæ & Sveviæ Dacem in suis quem-que provinciis Interregem fuisse. Vestigia sane *Vicariatus Sveviæ* non obscura me deprehendisse puto. Nam ut de Palatinatu Sveviæ nihil dicam, Hadwiga apud Eckhardum *Vicaria Imperii* dicitur. conf. Cl. VEERPOORTEN de Ducatib. in Veter. Germ. regn. heredit. p. 19. n. 10. qui, nescio an recte, per universam Germaniam, quæ juris Saxonici non est, ejus Vicariat-um extendat p. 21. cum is ad fines Ducatus Alamannici restringendus videatur. Add. de Philippo Sveviæ Duce eodemque Imp. Fridrici I. Vicario GEWOLD. de SeptemVir. c. 11. p. 770. Sed hæc alibi plenius excuti-merentur. De Boioariæ Ducibus infra dicemus. Provincia Vandalica Ducatui & Vicariatus Saxonico sub-fuit; quod ex Adamo Bremensi & Helmoldo constat: neque enim Ducatum, quem nonnulli fingunt, Branden-burgicum annales Germaniæ agnoscunt: imo seculo adhuc 13. in Dip-lomatibus Brandenburgicum Marchionem post Marchiones Misniæ & Landesberg. videas collocari. TOLNER. Cod. Diplom. n. 71.

(r) Ita

29

Saxo ergo omni tempore in Saxonia (r) nullo causarum discrimine (s). Sed extinctis Ducatibus reliquis (t), cum soli (u) super-

(r) Ita conjicio, *Saxoniae Duces omni tempore* in provincia sua & adjacentibus terris, quæ barbaris finitimæ dicebantur, *Vicariatum tenuisse*. Postea extinctis Alemanniæ & Boioariæ Ducatibus, etiam in quibusdam illarum provinciarum partibus interregia usos esse potestate. Nam quamvis vulgo Palatini Rheni Vicariati has omni tempore paruisse credant, jus Alemannicum tamen, de quo postea vidëbimus, aliud pervadet & Ducem Saxoniæ super Svevos Vicarium clare pronunciat. Tandem Carolus per Bullam Auream, præter terras Ducatus Saxonici, etiam eas, quæ jure Saxonico utuntur, ad Saxonicum Vicariatum retulit. Cæterum conjecturam meam, qua *Vicariatum* Potentissimo Regi nostro *visprisci & antiquissimi Ducatus* assero, non pauca adjuvant. (I.) Bulla Aurea & (II.) Speculum Alemannicum Duci Saxoniæ decus hoc vindicant. (III.) Ipsi Electores in literis publicis jus hoc sibi competere ostendunt *Vicariatum als Churfürsten und Herzogen zu Sachsen*. Ubi Electoratus simul mentio fit, quia *solus* nimirum *Electo Dux est Saxonia*. Dux, inquam, primi Ordinis, qualis omni tempore non nisi unus fuit. (IV.) Palatinus quoque provinciæ causa munere hoc defungitur. (V.) Ex hoc intelligi potest, cur soli isti Duum-Viri provifores sint Imperii, cum alii etiam in electione suffragium ferant, aulæ summa officia adminiftrant & Palatia habuerint ac Palatinos. Plura

etiam in rem attulit *Dn. Præses in dict. Orat.*

(s) Sive civiles illæ, sive criminales, sive belli, sive pacis negotia fuerint.

(t) Ducatus Sveviæ occiso Conradino diftractus est. Boioaria ex quo cum Palatinatu Rheni coaluit, justis & peculiaris Ducatus primi Ordinis rationem fere habere desit, & ex duabus una velut provincia facta est: unde cum postea divellerentur, Palatinus solus, contradicente licet Bavaro, locum inter Electores, officium in Imperio & reliqua Ducatus jura tandem obtinuit.

(u) Cum soli ex priscis primi Ordinis Ducibus Palatinus & Saxo superessent, non mirum est, solis eis provisionem Imperii relictam fuisse. Atque inde etiam causas repeto, cur duo hi inter seculares primarii Principes præ reliquis omnibus eminentia singulari & privilegiis fuerint gavisi. Inde uterque judex Cæsaris est; quamvis vulgo Saxonem excludant. Hinc præcipua Imperii officia sustinent. Primum locum tenuerunt inter seculares Principes etiam inter Imperatorem eligentes. Nam Boëmus olim inter hos ultimum habuisse traditur. Quin & in electione Cæsaris præcipuæ quondam eorum fuisse videntur partes. Auctor enim libri antiqui *de jure Casareo regio feudali ac nationali*, quem SCHARDIUS *de Electione Imperat. c. 9.* citat, tradit, duos hos eligere, Brandeburgicum & Boëmum suffragari.

(w) Pro-

superessent primi Ordinis Duces duo, Saxo & Palatinus (w), reliquæ terræ quoad Vicariatus jus his veluti accefferunt, & utriusque fines extendi cœperunt, quos tandem Carolus certius distinxit confirmavitque.

IX.

*Saxo in
terris suis
etiam ante
A.B. Vi-
carius.*

Ut cunque ea fuerint, certum est, dudum ante A. B. utrumque Vicarium intra suos tantum fines suo munere esse defunctum. Nam & Saxonem ante sanctionem hanc Carolinam (x) in terris juris sui, & vacante folio & absente (y) etiam Rege Vicarium

(w) Provinciam Palatini justici Ducatus rationem habuisse, non ambigendum est, & Ill. COCCEJUS, alii- que solide evicerunt: quamvis, qui Bavari causam contra Palatinum egerunt, id quoque in controversiam vocaverint. Postquam Boici Ducatus iura cum Palatinatu quodammodo coaluerunt, absque dubio inter primi Ordinis Duces eminebat. Sed his jam immorari non vacat.

(x) Inde Vicarii Saxonici jus suum non solum ex A. B. sed & ex antiquissima consuetudine repetunt. Huc pertinent verba in *litteris Friderici Sapientis: nach alten löblichen Herkommen; in litteris DD. Principum Jo. Georg. I. & II. vermöge ibralten Herbringens unserer hochgeehrten Vorfahren; & in litteris Regis: vermöge ibralten Herkommens. ZIEGLERUS, CARPZOVIVS, LIMNÆUS, RHETIVS* aliter sentiunt, & per Bullam Auream verb: *eodem jure provisionis frui, volumus: Vicariatus jus Saxoni demum concessum, credunt. Sed eorum argumentis satis fecit D. KREGEL. de Vicariat. Saxon.*

in cas. abs. §. II. Illi vero admodum falluntur, qui, ut *Magnif. HORN. c. 21. §. 7.* refert, Vicariatus Saxonici jus *Bulla Caroli IV. Saxonie. anno 1376.* confirmatum esse, existimant; in hac enim Bulla, quam *Goldastus & Freberus* exhibent, nihil deprehendas, quod errori illorum faveat. Antiquius longe jus Saxonis esse, textus Alemannici juris docet. Sed longius, ac vulgo fit, repetenda initia hujus Vicariatus erunt, si, quod *§. præc. monuimus, ex Ducatu Saxonie* origines eius revocentur.

(y) Saxonem etiam absente Rege provisorem Imperii esse, evicit, puto, *D. KREGEL. l. c. §. 16. seqq.* Utrum Aurea Bulla de hoc casu quoque caveat, an ad interregna, quæ defuncto Rege incidunt, tantum ea pertineat, magis ambiguum est. Negat *SCHILTERUS de Vicariat. th. 5.* Nos cum *Exc. TITIO*, aliisque affirmare non dubitamus. Saltim Imperatores, Vicarios, Ordines Imperii Auream Bullam hoc sensu accepisse, mihi constat, ut authentica interpretatio omne dubium tollere videatur.

(z) Alii

29

rium Imperium sibi afferuisse, verius est, licet haud paucos aliter (z) sentire non ignorem.

X.

Hos utriusque Vicariatus fines Bulla Caroli IV. agnoscit, discernit, firmat (a). Itaque quamvis quaedam Imperatoris jura communi cura simul Interreges tueantur (b), pleraque tamen intra terras tantum suas separatim singuli exercent.

Fines Vicariatum juxta A. B.

XI.

Sed de juribus ipsis Vicariorum differere constitutum mihi non est (c). De terris tantum, in quibus potestate sua funguntur, quaedam afferam. *Saxonici* in primis *Vicariatus fines* indagare propositum mihi est. Pauca tamen & *de Palatino* praemittam. Eum Carolus *in partibus Rheni, Svervia & in jure Franconico* Imperii proviforem constituit.

Comes Palat. Vicarius.

XII.

Cave autem, per *partes Rheni* intelligas *circulos Rhenanos*

B

In partibus Rheni.

(z) Alii absente Rege jus Vicariatus utrique Interregi, alii Saxoni tantum denegant, alii locum quidem iis faciunt, sed in subsidium, & nisi Regi aliter visum fuerit; alii tempora & casus distinguunt. Sed mihi errores hosce hoc loco ne quidem commemorare, nedum refellere integrum est.

(a) Licet utriusque Vicarii jus sit bulla Aurea antiquius, non asseruerim tamen, eos Carolo IV. nihil debere; Palatinum in primis, cujus jus in partes Sveviae non adeo liquidum fuisse videtur, ut de lite ejus cum Bavaro, per hanc bullam quodam-

modo composita, nihil dicam. Sed de Saxonis jus ad omnes terras, quae jure Saxonico utuntur, extendit Carolus. vid. *supr. lit. r.* ut causas omnino habeant Vicarii, cur Aurea Bullae in litteris, quibus interregnum declarant, praecipue faciant mentionem.

(b) Per Cameram jus dicunt, indicunt comitia, eademque dirigunt, belli & pacis causas communi consilio moderantur. &c.

(c) Jura Vicariorum Imperii tam ea, quae in Aurea Bulla expressa sunt, quam, quae illa nominatim non expressit, peculiar. Dissert. asseruit Dn. Praeses.

(d) Divisio

nos (d). Incogniti illi Carolo fuerunt, qui terram Rhenanam (e) respexit. Provinciam, inquam, illam, quæ Ducatus iusti olim, si *III. COCCEJI* fidem sequamur, rationem habuit (f). Huic provinciæ imprimis, antiquissimis temporibus, Palatinus præfuisse Vicarius videtur (g).

XIII.

Svevia.

Svevia eadem est ratio, quæ vox *Alemannia Ducatum* (h) exprimit ampliorem longe angustis circuli *Svevici* finibus. Sed Carolus *in partibus* tantum ejus, non in *Svevia* provisionis Palatinæ jus collocat, ex quo forte colligas, universam eam huic

(f) Divisio in 10. circulos Maximilianum I. auctorem habet. Itaque quamvis pleraque utriusque circuli Rhenani provinciæ ad Vicariatum Palatini pertineant, Aurea Bulla tamen de iis intelligi nequit; neque isti circuli fines provinciæ Rhenensis Veteris satis ubique retinent. Ita (ut alia omittam) Superiori accenset; Hassiam, quæ nunquam provinciæ Rhenensis pars fuit, nec ad Vicariatum Palatini fines referri debebat.

(e) Aliter BUXTORFFIUS *rb. 57. lit. a.* qui, omnes provincias a prima Rheni origine usque ad finem & ostium sitas, hic denotari, censet, præter mentem, puto, Imperatoris: verba enim *in partibus* hanc interpretationem non admittunt. BUXTORF. tamen sequitur SCHWEDER. *de Com. Pal. Rhen. §. 18.*

(f) Vid. *Cap. III. S. VI.* quando tamen peculiaris Ducatus rationem habere coeperit, obscurum incertumque est. Ego ita conjicio: *Palatinum* olim *Francia* provinciæ *Comitem* præcipuum, non Ducem primi Ordinis, fuisse. Sed sicuti illius pro-

vinciæ, ejus Dux regium obtinuerat fastigium, Archi-Episcopus Primas Germaniæ dictus fuit, & multum præ reliquis Archi-Episcopis emicuit: ita & ejusdem Comes Palatinus, tanquam Regis in Ducatu Vicarius, aliis Comitibus Palatinis prælatus & Ducis fere loco & honore habitus fuit, licet ipse Ducatum jure proprio non teneret, sed Regis, ejusdemque Ducis nomine illi præesset. Ea Sigfridi, Geronis, & forte Billingii quoque sub Saxonis Imperatoribus conditio fuisse videtur; Sed cum sedes regia diu satis in Francia constitisset, diuturna auctoritate Comites Palatinos Rheni consecutos esse, puto, ut tandem Comitatus eorum, variis incrementis auctus, justus & peculiaris Ducatus esse censeretur. Verum hæc conjectura tantum mea est, quam nemini obrudo.

(g) Et Francia, ac huic quidem tanquam Comes Palatinus, Rhenensi provinciæ etiam tanquam Dux.

(h) Svevia enim & Alemannia promiscue dicuntur. vid. *III. COCCEJ. c. 3. S. 2.* & SIBERUS *in præclaro de Illustribus Alemanni Operi §. 6. seqq.*

(i) Nimi-

huic Vicariatu non subesse (i). Sed ea de re infra dicemus, & an Saxoni quoque Vicario jus aliquod in hujus provincie partes competat, dispiciemus.

XIV.

Venio ad verba: *Et in jure Franconico.* Crucem illa figurant interpretibus, quorum varii sunt circa hunc locum errores. Falluntur, qui *juris* vocabulum pro *lege* accipiunt, & *Leges Salicas* (k), ac magis etiam, qui, *jus Sævicum* (l) hoc loco

Et in Jure Franconico.

B 2

loco

(i) Nimirum *Svevia olim plane non videtur pertinuisse ad Palatini Vicariatum. Duces suos Vicarios habuit. v. lit. q.* His extinctis quoque non statim Palatino Vicariatu accessit. Duci enim Saxonie potestatem eam concedi posse a Rege, *Speculum Sævicum* innuit c. 42. §. 6. verb.: *Gilt ime der Kunig den Gewalt den Bann zulihende, so het der Marschalck Recht über alle Sovoben.* Itaque illo tempore Palatino provisionem in Svevia Ducatum nullam competiisse puto. Neque constat, quo tempore competere cœperit? quo jure? quo privilegio? Utrum per A. B. Saxo plane exclusus sit? an in partibus Svevia quoque aliqua ipsi provisio relicta? & utrum Rege tantum absente, an etiam folio vacante? Sed de ea re plura infra dicemus, ubi Saxonici Vicariatus fines scrutabimur; dicemus etiam de *Francis Marscallo subjectis. j. d. §. 6. cap. 42.* Interim ex hoc textu colligo, *Conringii & Thomasi* sententiam, *Speculum Sævicum* demum seculo XIV. collectum fuisse, propius accedere ad probabilitatem, quam *Schilkeri*, qui, dudum antea id compositum esse, contendit.

(k) Si leges omnino per verba B. A. intelligi deberent, ad Veteris Francie jura ea referrem, ad Leges Francorum *Salicas* inquam *sive Palatinas.* Provincia enim Palatini cum Francia, cujus Palatinus fuit, eodem jure usa est. Quod diversissimum est ab Alemannico sive Sævico quocunque. Sed de legibus hic non agi, postea evincam. Ut vix assequar, qui Vir illustris c. XXIII. n. 5. tradat, Auream Bullam per jus Franconicum denotare (1.) *Leges Salicas*, sive (2.) *jus Sævicum*; & non modo verba Aureæ Bullæ de legibus accipienda esse, sed & eadem voce jura diversarum provinciarum simul comprehendi censet, in primis cum alibi ne quidem verba A. B.: *ubi jura Saxonica servantur*, ad usum Saxonicarum legum referenda esse, contendat s. 16. n. 9.

(l) LIMNÆUS ita, & CRUGERUS *Disc. 19. n. 4.* & alii, qui bona fide *Limnaum* sequuntur, sentiunt. Frustra. *Quis enim unquam Sævicam Franconiam, Svevia leges jus Franconicum dixerit?* Quis, *Carolum IV. Svevia jus Sævicum jungere*, & ab ea distingvere voluisse, credat? Quis sensus verborum in partibus Svevia &

loco intelligi, credunt, in primis si de *Speculo* illo sentiant (m) collectoris incerti, quod nulla publica auctoritate prodiit, vim legis nunquam habuit. Rectius sentiunt, qui *terras* hic commemorari (n) tenent, modo Franconici circuli fines cum *Veteri Provincia* non confundant (o): hanc enim Carolo IV. indicari, nos nulli dubitamus.

XV.

& in jure Svevico *am Rhein*, in *Schwaben* und im *Schwäbischen Rechte*, aut, si mavis, in *Schwaben-Spiegel*? Ita sensum non modo A. B., sed & provincias, jura, omnia confundunt, miscunt & turbant A. B. interpretes & glossatores.

(m) *Linnaeus*, puto, de *Speculo* illo sentit. quamvis certo id affirmare nolum. Si sensit, pessime omnino sensit. Nam si vel maxime dederim, quod nulla ratione concedi potest, de legibus agi in Aurea Bulla, immo de legibus etiam Sveviæ, ad Speculum tamen neutiquam verba hæc referri posse contenderem, quod absque publica auctoritate, incerto auctore, dubium, quo tempore conscriptum est: ne inter Svevos quidem, nedum in reliquis Germaniæ Ducatibus juris vim & auctoritatem unquam habuit.

(n) Non jus hoc loco, sive leges, sed provincias commemorari, multa arguunt. I. *Provincia Rhenensi & Svevia jungitur*, ex quo colligo, hæc Ducatibus tertium addi. II. Versio Germanica, quam statim Caroli IV. auctoritate additam esse, SCHILTERUS T. 2. tit. 19. §. 5. p. 271. LAMBECIUS *Wenceslai* jussu adornatam censet, & cui plus ego, quam quibuscunque commentatoribus tribuo, verba hæc ita exprimit in *Schwaben* und Francken, vel, ut *Goldasti* ha-

bet editio, in *Fränkischen Gebiethe*. Vocem enim *Gebiet* districtum exprimere etiam absque *Besoldo* intelligi facile potest. Miror vero eam, quam hic assero, sententiam, *Besoldo* tribui, eumque, tanquam ita sentiat, etiam refutari. Cum de sensu Aureæ Bullæ, deque verbis his: in jure Franconico, nihil quicquam tradat. Quod iis, qui ipsum *BESOLDUM* evolvent, apparebit. Nam *Linnaeus* obscurius mentem *Besoldi* expressit. III. Verba hæc: in jure Franconico, vix sensum idoneum habent, si jus pro lege accipias. Quis enim per verba in legibus Franconicis exprimet terras, ubi jus Franconicum viget. IV. Ea mens si Caroli IV. fuisset, clarius credo dixisset sententiam, ut, ubi de Saxonis provisione agit, diserte ait: in locis, ubi jura Saxonica servantur.

(o) Nimirum jam sæpius dixi, circulos cum Ducatibus præcis non debere confundi. Per Franconicum jus ergo Franciam intelligo. vid. lit. (k) b. th. Frustra vero objicitur, ad provinciam non posse ea verba referri, quod *Vicariatus Palatini latius pateat, & longe ultra Franconiæ fines se extendat*. Nam (1.) *Circulus Franconicus cum Francia non confundi debet*. (2.) Præter Francici juris terras ipsa A. B. provinciam Rhenensem & partes Sveviæ commemorat. (3.) Ultra Franciam autem & partes Rheni

XV.

Jus Sævicum Feudale alios fines vicariatus Palatini constituit (p). Jus banni concedendi habere tradit Comitem Rheni *jene site Rins, unze fur Metz eine Mille, unze an den Se, und in Flandern* (q). Verum de casu absentis Regis agit (r), non de Imperio post mortem Imperatoris vacante (s).

Fines Vicariatus Palatini. Sec. Jus Sævicum.

XVI.

Quæ igitur terra, qui Ordines Imperii vicariatui Palatino subsint, aut subesse etiam debeant, ex iis, quæ diximus (t), colligi potest. Sed plerique, qui fines ejus commemorarunt (u), *Goldastum* sequi maluerunt (w), qui tamen *ultra, quam Aurea Bulla* constituit, eos protulisse videtur.

Fines Vic. Palat. secundum Goldastum.

XVII.

Juvabit ergo ipsum audire *Goldastum* (x), & expendere & ad examen revocare ejus doctrinam, & singularum, quas ille

Qui refert eo Sævicam, Franciam partes Rheni.

B 3

Rheni ac Sæviæ vicariatum Palatinum se extendisse, probari nequit.

(p) c. 42. §. 7.

(q) SCHILTERUS ita vertit: Comes Palatinus ad Rhenum jus habet banni concedendi trans Rhenum usque ad milliare a Meti, & ad Oceanum usque, ac per Flandriam. Sed ipse monet, alios codd. pro Metz, *Menze* habere, pro *se* (Oceano) in quibusdam *Use*, vel etiam *Ruse*, legi. Conjecturæ sunt, quæ affert *Comment. ad b. cap. §. 26.* quibus nunc immorari non licet.

(r) *So der Kunig von rurschen Landen vert*, hoc vero ideo moneo, quia, quod alibi dicam, non satis constat, an non in casu absentis Reges fines Vicariatus Saxonici latius pateant, quam in Aurea Bulla sunt constituti.

(s) An eo tempore, quo scriptum est *Speculum*, vacante solio eisdem terminos habuerit Palatini Vicariatus, quis definire audeat, vel potius divinare?

(t) §. 12. 13. 14.

(u) THULEMAR. cap. 22. §. 3. LIMNÆUS ad c. 5. §. 1. Obs. 3. n. 2. CRÜGER. P. spec. Discurs. 19. §. 5. GASTELIUS, VITRIARIUS L. I. t. n. §. 6. & quis singulos, qui *Goldasti* fidem secuti sunt, commemorabit?

(w) GOLDASTUS in der Vorrede zu denen Reichs-Satzung. fol. 3. b. §. der Kaylerlichen hohen Reichs-Pfalz.

(x) Quidni hoc loco, ubi ex instituto de finibus Vicariatuum ago, adscribere mihi integrum putem verba, quæ toties ab aliis descripta sunt.

ille recenset, provinciarum, quantum institutum nostrum patitur, rationem habere. Ac de *partibus* quidem *Rheni, Svevia & Francia* nihil est quod addamus, nisi, quod jam supra monuimus, dubium esse, *Utrum Vicariatus Palatinus ad omnem Sveviam pertineat*, an ad aliquas tantum ejus partes debeat restringi (y)?

XVIII.

An Hungariorum?

De terris, quas Danubius alluit, paulo post videbimus (z). Hungariam nescio an ipse Goldastus huc referre voluerit (a).

Neutri

sunt. Ita ergo Goldastus: Der Käyserlichen hohen Reichs-Pfalz in Schwaben seynd unterworfen und zugehörig gewest alle Land in der Sächsischen Erz-Pfalz nit begriffen; Carolus IV. in seiner Constitution von der Pfalz Vicariat-Amt, nicht allein der Rotweilische Hofgerichts-Cirkel mit seinen Kreifen, wie die bestimmt und determinirt seynd in der alten Hofgerichts-Ordnung Erster Theil tit. 6. in Maximilian I. Ordnung in pr. in Maximil. II. erneuerten Ordnung im andern Theil tit. 1. welches Hofgerichts Oberster Reichs-Richter ist der Churfürst am Rhein, dadurch der Pfalz Graf verstanden wird, an den die zween Artickel sollent binab gewiesen werden, deren von Maximilian dem Ersten gedacht wird, in gemeldter Ordnung §. 16. das ist, gantz Schwaben und Francken; Gülden Bull. c. 5. in pr. sondern auch der Donau-Strom bis an die Ungerischen Grenzen, mit Tyrol, Kernen, Beyern, Oesterreich; Freher. in Originib. Palat. c. 15. der Rhein-Strom von seinen Ursprung und Aufstoss der Lombardischen Grenzen binab bis an das Britanische Meer, mit Püнден, Schweizerland, Walliß, Saphoy, Burgund, und

was in dem Arelatischen Reich herwart der Rhonen, item Loibringen, der gaurze teutsche Rhein, mit allen Chur- und Fürstenthumen, Städt und Herrschafften, samt allen Niederlanden; das ist, tota Alamannia & tota Francia Orientalis; Gülden Bull. cap. 5. in pr. Schwaben-Spiegel Lib. 2. c. 43. §. 6.

(y) *th.* 13. Nescio itaque, an recte GOLDASTUS das ist, gantz Schwaben, & an eam in rem recte provocet ad Auream Bullam. Sed & Palatium Comitum Rhenensis minus accurate, puto, ab eo appellari die Käyserliche hohe Reichs-Pfalz in Schwaben. Nam Palatinatum olim Francia tenuit, non Svevia. Svevia suos habuit Palatinos. Utrum omnis Svevia postea & quando eundem Palatinum agnoscere coepit, incertum esse diximus; saltim Franciam & terram Rhenensem Palatio Sveviae subfuisse asserere nolim.

(z) *th.* seqq. ubi de Bavaria & Austria dicemus.

(a) Ait enim tantum: Bis an die Ungarischen Grenzen. Unde Hungariam eam ad fines referre Vicariatus Palatini, iisque includere voluisset non puto.

(b) Quia

Neutri ea Vicario paret (b), sique inde ad Imperium interregni tempore negotium deferatur, ad utrumque Vicarium, non ad solum Palatinum, ejus cura pertinebit (c).

XIX.

Commemorat deinde *Ducum Bavariæ & Archi-Ducum Austriæ terras* GOLDASTUS. Sed Bavariam Aurea Bulla non exprimit (d). *Dux ejus olim & ipse Vicarius* in terris suis fuit (e), Palatinum certe ne quidem (f), antequam Bavarus

Bavari-
am.

(b) Quia nec Imperio amplius paret. vid. *Rec. Imp. de ann. 1566. §. 69. seq. verb.* In nichts verwand oder zugehan. item derselben nachbarlich danckbar Gemüth, &c. add. *CONRING. de Fin. c. 17. REINKING. L. 1. Cl. 2. cap. 9. n. 46. seqq. p. 168. & GIOVAN. in Austr. L. 1. c. 2. num. 1. lit. c. pag. 202.*

(c) Perinde ac si ex Hispanis, Anglis, aliisque regnis causâ devoluta sit. De quibus uterque Vicarius ad Imperium refert, & cum Ordinibus deliberat. Neque enim video, cur hic potiores Palatini partes esse debeant, aut cur ad illum solum negotium sit deferendum, ut censet *III. COCCEJ. c. 16. n. II. p. 307.*

(d) Neque enim existimo, *Svevia* appellatione *Bavariam* comprehendit, ut post *BUXTORFFIUM, BECHMANNO & III. LYNCKERO ad A. B. p. 43.* visum fuit, cum illa peculiaris Ducatus olim habuerit rationem; nec sub partibus Rheni eam latere existimes, cum cujus Palatinatu coaluerat, siquidem illo tempore se juncta jam erat utraque provincia, litesque Palatinum inter & Bavarum agitabantur. Quamvis vero Carolus Palatino admodum faveret, ut pacta etiam, quæ inter utram-

que gentem *an. 1329.* Electoratus causa fuerant inita, rescindere non dubitaverit, Electoresque ante A. B. conditam in partes Palatini sollicitaverit, quod ex literis apparet *ad Rudolfum Ducem Saxonie an. 1354. scriptis*, quæ apud *TOLNER. n. 138.* extant: noluit tamen inter terras provisionis Palatinæ Bavariam referre, forte ne novam querendi causam Bavarum præstaret.

(e) Duces primî Ordinis vi Ducatus olim Cæsaris vices gessisse, supra dixi. Palatinum tantum in ea provincia, cujus Dux ipse erat Imperator. Inde Palatia Bavarum habuit. vid. *Weich-B. a. 7. Land-R. L. 3. a. 53. §. 1. add. Leges Bajavariorum t. 2. c. 15. seqq. & SCHILTER. ad J. A. F. c. 42. §. 23. p. 257.* Ubi Palatinus Rheni Dux Bavariæ fuit & utraque provincia in unam veluti coaluit, Palatinus quidem per Bavariam Vicarius fuit, sed, qua Dux, non qua Palatinus, vid. *LEIBNIT. Cod. dipl. T. II. p. 102.* Post divisionem Ludovici, & magis post Bullam Carolinam Bavaria, ut dixi, primî Ordinis Ducatus rationem habere desit, Vicariatus tamen jus quoad terras Ducatus Bavariæ Palatino ex A. B. asseri omnino nequit.

(f) Ita tradit *Auctor* des kurtzen

Ge-

rus Septemviris accederet (g), admisit. Itaque hæc aut neutri, aut utrique Vicario subest (h).

XX.

Austriam.

Austria eadem est ratio, quæ olim portio & Marchia Boici Ducatus fuit (i). Sed & Archi-Duces terras suas nulli Vicario

Gegen-Bedenckens und Berichts von der Churfürstl. Pfaltz Vicariats-Gerechtigkeit *ap. Limu. ad A. B. c. 5. §. 1. O. 3. n. 2. add. SCHWED. Diff. d. Jurib. Comit. Palatin. Rhen. §. 15. & §. 18. p. 40.*

(g) Nam post obitum Ferdinandi III. non modo in Bavaria, sed & in terris, quæ A. B. nominatim exprimit, Palatinum pro vicario non agnovit Bavarus. Publica pro parte utraque scripta quamplurima prodierunt, quæ apud GASTELIUM, LUNDORPIUM & in *Theatr. Europ.* legi possunt. Argumenta utriusque partis præter hos Sprengerus, Kulpisius, alique exhibent. Mea sententia; *Ejus jus potius fuit, qui Palatinatus Comitatum, sive, si ita mavis, Ducatum tenuit.* Nam vicariatium perinde ac *Electiorem & vocem super Principatum & super terras Palatinatus & super Archi-Dapiferiam taliter fundatas esse, Carolus IV. & Electores reliqui censuerunt, ut unum sine alio subsistere non possent.* Sed hoc nunc non ago, ut liti illi me immisceam, quæ nunc, si non composita, finita tamen est, ubi & locum præscam inter Electores & munus Dapiferi recuperavit Palatinus.

(h) Ut dixi, Aurea Bulla de Vicario per Bavariam non cavet. Ergo Palatinus solus eam sibi vindicare

nequit. Consequens est, ut aut neutri, aut utrique Vicario jus Vicariatus in his terris asseramus. Nam Bavarum ipsum Vicarium in iis esse non dixerim, cum A. B. duos tantum constituat, & ab hoc tempore Bavaria, saltim usque dum ad Septem Viralem dignitatem Dux aspiraret, pro justo Ducatu Ordinis primi habita non fuerit. *Malim ergo pro utroque Vicario sententiam dicere, quam utriusque provisioni exemptam Bavariam censere.* Nam & olim extinctis Ducibus aliarum provinciarum hoc sublime munus per terras earum ipsis cesit, & quæ partes nulli addictæ Vicario sunt, ad utrumque pertinent, nisi exemptas esse doceatur. Quin si vel per Bavariam jus Vicariatus recuperasse Ducem Pace Vestualica censeas, quod ego quidem non asseruerim, erit tamen nunc utriusque Vicarii Saxonis & Palatini provisioni locus, Bavo banni fulmine percusso, quod eum a quacunque Imperii administratione omnino excludit. vid. *supr. lit. k.*

(i) Sufficere hoc argumentum Austriacis puto contra Palatinos, ob rationes, quas modo attuli *lit. d. & e. th. 19.* Contra utrumque Vicarium forte non æque. Fuisse autem præscos Austriæ Dominos Bavarix Marchiones & in Ducum clientela notius est, quam ut probare necesse sit.

(k) Ita

Vicario subesse contendunt (k), quamvis ex diplomate, quod THULEMARUS (l) aliique allegant, & CHIFLETIUS (m) exhibet, id nequeat evinci (n).

C

XXI.

(k) Ita cum post proximum interregnum Imperator Leopoldus rata haberet, quæ Dux Bavarie Vicarius gesserat, nominatim exceptit Austriam, eique junctas provincias, in quas nullum ei aut cuiquam Vicario jus esse declaravit, eum Bavarus tamen ob memoriam prisca juris duplici titulo niteretur. Opera pretium est addere, quæ ex decreto Casareo huc pertinent: Jedoch mit nachfolgenden Vorbehalt und Beding, erslich, dass Jbro Kayserl. Majestät einzigen Vicario des Reichs über dero Erz. Haus und demselbigen angehörige Erb-Lande die geringste jurisdiction nicht geständig, und dasjenige, was in der S. Churfl. Durchl. in Bayern ertheilten Confirmation sub verbis: in Landen des Rheins, Schwaben und Fränckischen Rechten dem Herkommen gemäs, enthalten; ander Gestalt nicht, als privative; respective Jbr. Kayserl. Maj. hochlöblichsten Erz-Haus, welches erstberührten Herkommen gemäs, a jurisdictione Vicariatus Imperii exempt ist, zuverstehen sey, allermaßen Jbr. Kayserl. Majest. wenn deme zugegen in höchstgedachten Jbres Erz-Haus Landen von des Reichs-Vicariat wegen, ichtwas vorgekommen worden wäre, solches alles abrogirt, contradicirt und darwider solennissime protestiret haben, &c. &c. Et verum omnino est, Austriam verbis Auræ Bullæ non contineri: ut frustra Palatino Vicariatu eam ascribat MULZ. P. 3. c. 16. n. 41. p. 1062. Sed exemptionem tamen adversus utrumque Vicarium inde nondum inferri posse puto, cum, quæ singulis non subsint, utriusque provisionem agnoscere debere censeam, nisi

exemptio doceatur. Imperator provocat auff das Reichs-Herkommen. Sed observantiam Imperii quis probabit? Alii dicunt, ipsos Austriæ Archi-Duces Vicarios in suis terris esse. Et refertur omnino in Ref. Polit. Sigismundi P. 2. c. 20. §. 1. inter quatuor Vicarios Princeps Austriæ, verb. Ein Fürst von Oesterreich in einem Theil. Sed de Vicariis perpetuis particulibus agit Sigismundus, qui interregni tempore generalibus provisionibus subsint. Ut taceam, consilium Sigismundi caruisse eventu v. DATT. c. 21. n. 20. Non magis ergo huc pertinet ille Vicariatus, quam quem in Italia gessisse Austriacum tradit BIRCKEN in Spiegel der Ehren des Erz-Hauses Oesterreich. Lib. 3. cap. 5. num. 1.

(l) THULEMAR. de Octo. Vir. c. 22. §. 4. p. 375. scribit, Austriam vacante Imperio non amplius Palatinum, sed Archi-Ducem gubernare, vi transactionis a Carolo V. initæ Aug. Vindelic. ann. 1548. Sed uti in illa transactione nihil ea de re continetur; ita & in eo fallitur THULEMARUS, quod olim ad Palatini Vicariatum Austriam pertinuisse credit. Pertinuit enim, ut diximus, ad provisionem Ducis Bavarie. Vid. Diplom. Rud. I. quod Ill. LEIBNIZ. habet Tom. II. n. X. a p. 102. ibi: Dux Bavarie, & postea: inter Principatum prærogativas.

(m) Alsat. Vindic. c. 10. p. 59. Exat & ap. Limm. Lib. V. c. 2. n. 5. germ. idiomat.

(n) Transactionem Caroli V. & Ordinum Burgundiam Vicariatu non subdu-

XXI.

*Helveti-
am.*

Quæ sequuntur, apud *Goldastum* terræ magnam partem non agnoscunt amplius Imperii Germanici auctoritatem, adeoque nec Vicariatum Palatinum. Ita *Helvetiam* frustra quis huc referet, ex quo saltem in possessione libertatis per Pacem Vestualicam est constituta (o). Eadem *Lotbaringia* ratio, si terras spectes, quæ Imperio subductæ sunt & in Gallorum potestatem pervenerunt, ut *ne tres quidem Episcopatus Palatino Interregi subsint* (p).

*Lotbarin-
giam.*

XXII.

*Belgium.
Burgun-
dum.
Sabaudi-
am.*

Belge, nescio, an unquam Palatino Vicario paruerint (q): *Burgundiam* exemptam aliqui, sed non idoneis tradunt (r) argumentis. *Sabaudiam* frustra commemorat GOL-
DASTVS,

subducere, §. XXII. ostendam. Hic contra THULEMARUM, & qui eum sequuntur, sufficit observasse, de Austria non actum fuisse inter Regem & Ordines in illa conventionione.

(o) Dico in possessione. Ita enim verba habent Art. 6. : *Helvetiorum Cantones in possessione vel quasi plena libertatis & exemptionis ab Imperio esse*. Nam omne jus suum Germanis dereliquisse non videtur. Diff. D. TITIVS L. I. c. 8 §. 45.

(p) *Metensis, Tullensis & Virodonensis*. Nam quamvis in causis ecclesiasticis Imperio adhuc quodammodo uniti sint *Suffraganei Trevirensis* Metropolitanæ; inde tamen argui nequit, jus Vicariatus adhuc esse salvum.

(q) Nec negaverim, nec asseruerim omnino. Omne Belgium subfuisse, saltem non crediderim. *Flandriam* terris Palatini Vicariatus annumerat *Jus Alemannicum*, quo nomine o-

mnem Germaniam inferiorem contineri vult SCHILTER in *Comment. §. 26*. Nec ipse tamen dissimulat, alios Codd. habere *Flodern*, alios *und an den See in Flandern*.

(r) Ex qua transactione Austriam exemptam esse pronunciat THULEMAR. de *Offio Vir. c. 22. §. 4*. ex ea etiam *Burgundia Vicarium Regem Hispaniarum asserit*. Ego ex eadem contrarium adstruere non dubitaverim. Nam (1.) nullam illa continet exemptionem, nihil de Vicariatu cavet. (2.) in §. 15. Carolus V. proficitur, illam provinciam impofterum esse debere sub *protectione, custodia, conservatione & auxilio Imperatorum & Regum & S. R. J.* & sicut alios Principes & Status & Membra Imperii, defendendam & conservandam: quæ verba quidni etiam ad *provisionem* Vicariorum referamus? add. §. 23. verb.: *protectionem & patrocinium habebunt, sicut Status & subditi Imperii, &c.* Interim mihi non constat,

DASTUS, *quam* non quidem neutri (s), sed nec uni, verum *utrique* (t) *Vicario subesse censeo.*

XXIII.

Sed diutius, quam constitueram, circa Palatini Vicariatus fines occupatus fui (u). Transeo *ad terras Juris Saxonici*, ad terras, in quibus provisionis jus Duci Saxonie Aurea Bulla confirmavit. Quo ipsum sub omnibus modis & conditionibus, quibus Palatino Interregiam potestatem competere declaraverat, frui debere ostendit **IN ILLIS LOCIS, UBI SAXONICA JURA SERVANTUR.**

Terra Vic. Saxon. juxta A. B.

XXIV.

Sunt, qui per verba hæc: *ubi jura Saxonica servantur*, non ad *leges* Saxonum respici, sed ditionem seu *provinciam* designari

Per Jura Saxon. intelligi leges.

C 2

stat, an ante, aut post hæc tempora in singulis, quæ cit. §. 15. continentur, terris Imperii nomine quis exercuerit Vicariatum. Quæ nunc utriusque Belgii & Burgundie ratio sit, neminem latet.

(s) Vulgo dissentiunt. Vide sis *Diff. Dn. Præsidis de Jurib. Vicarior.* §. 37.

(t) Quia (1.) quæ alterutri Vicario non sunt assignatæ terræ, eæ nimirum utrique subesse censentur (2.) quia Vicarii perpetui & particulares, ut omnes Italiae, subsunt Vicariis Generalibus non minus, quam ipsi Imperatori & Imperio. Sed hæc excuti studiosius merentur vid. *Bechman. Inst. Jur. Publ. l. 2. c. 10. §. 4.*

(u) Et ex his, quæ diximus, puto, apparet, quid de reliquis terris sentiendum sit, quas GOLDASTUS recenset. Apparebit etiam, nimium fines illos dilatari ab iis, qui *Palatinum per universum Imperium, Saxonem tantum per provinciam, Vi-*

carium esse asserunt. v. COCCEJ. c. 16. n. 9. seq. aut quicquid extra Saxoniam provincialium est, ejus provisioni subjiciunt. Nam uterque Vicariatus olim unius provincie fuit, uterque etiam extinctis reliquis primi Ordinis Ducatibus ulterius extendi cepit. Neque universam Germaniam Palatino Carolina Sanctio assignat. *Ruperti*, & qui eum secuti sunt, Imperatorum privilegia Palatinum Vicarium in *Germania*, *Gallia* & *Regno Arelatensi* quidem dicunt, sed hæc ex Bulla Aurea explicanda sunt, adeoque universam Germaniam non complectuntur; saltim cum de casu, quo Rex Italiam ingressus est, tantum caveant, folio vacante, fines Vicariatus ex iis asfirmari nequeunt, quatenus limites per A. B. constitutos excedunt. Quamvis ne in casu quidem absentie per omnem Germaniam potestatem Palatini patere, & supra jam evictum fuerit, & ex jure Alemannico etiam constet.

(w) *Illu-*

designari censent (w), Nec negaverim, terras prisca Ducatus Saxonici potissimum huc pertinere (x), ipsa tamen vocum vis (y) & temporum ratio (z) postulare videtur, ut ad legum Saxoniarum usum illa referamus.

XXV.

Ergo jus Saxonum intelligi putamus, quod in Ducatu veteri potissimum, sed non in eo solo Caroli IV. tempore obtinuit

(w) *Illustris* RHETIUS verba Aureæ Bullæ non ad loca, ubi jus Saxonicum viguit, sed ad districtum Saxonicum refert *L. i. r. 5. §. 8. p. 187.* Eadem est sententia *Illustris* COCCIJ c. 16. n. 9. p. 305. *Terræ*, inquit, *juris Saxonici dicuntur, quæ pertinent ad jus provincie Saxonie, non quæ utuntur jure Saxonico.* Hos sequitur PEEFFINGER. ad *Vitriar. L. i. r. 11. §. 6. lit. a. Auctor Meditar. ad Capitul. Joseph. a 35. lit. d. p. 310.* & AUGUSTIN. de CANUSIO p. 349. der Neuen Bibl. 14. Stuck.

(x) (1) Quia leges Saxonie potissimum in Ducatu Saxonico viguerunt, (2.) quia Vicariatus Saxonicus olim ad Ducatum Saxonicum in primis pertinuit, ut dictum est.

(y) Dixisset omnino Carolus in Saxoniam aut in jure Saxonico provisionem Ducis obtinere debere, si districtus, provincie, Ducatus, habuisset rationem. Nunc dicit in *illis locis, ubi jura Saxonica servantur.* Quibus verbis vim inferat necesse est, qui ea neget, ad usum legum Saxoniarum esse referenda. Recte SCHILTERUS de *Vicar. lib. 7.* Hic vocabulum *juris* pro districtu capi vix poterit. Nam id non intendere Carolum vel saltim patet ex voce *servantur.* Atque hanc inter-

pretationem non parum adiuvat *versio*, cui merito plurimum tribuo, *Germanica*, quæ hæc verba ita exprimit: an allen Stædten (Orthen), da Sächsische Rechte seynd.

(z) Temporum, inquam, ratio non patitur, ut verba Aureæ Bullæ ad Ducatum Saxonie restringamus. Namque *hæc ætate* uti Palatinus ultra Franciam se extendebat *Vicariatus*; ita & Saxonis finibus Ducatus non amplius continebatur, sed extinctis cæteris Ducatibus & Vicariatibus *latius patebat.* Nonnullæ etiam provincie, quæ olim Ducatui Saxonico accesserant, illi jam iterum subtractæ erant, aut certe laxiore nexu coherabant, legibus tamen adhuc Saxonice utebantur. Carolus ergo has omnes ad provisionem Saxoniam referre voluit. Ut quamvis ipse Vicariatus Bulla Aurea multo sit antiquior, idemque ante Caroli tempora jam terminos provincie Saxonice excesserit, non omnino tamen negem, *d. §. 1.* novum jus continere, quatenus Imperator omnes illas terras, quæ jus Saxonicum servant, in quocunque Ducatu sitæ sint, Ducis Vicariatus subijcit. Merito itaque omni tempore Serenissimi Electores Saxonici hanc interpretationem secuti sunt, nec passi jus suum ad Ducatus

tinuit. Neque tamen, dum leges Saxonum dicimus, *compilationes* illas, quæ in utroque Speculo continentur, aut Weichbildo Magdeburgico extant, *intelligimus* (a), ut puta quæ publica auctoritate juris vim nunquam habuisse videntur (b).

Non Speculum Saxon.

XXVI.

Id expeditum est, non ad presentem usum juris Saxonici, sed ad Carolina tempora & eam, quam tunc Saxonum Leges habuerunt, auctoritatem respiciendum esse (c). Quare licet postea aliæ leges in terris quibusdam receptæ, in nonnullis

Vic. Sax. pertinet etiam ad terras, quæ olim Sax. Jure usæ sunt.

C 3

lis

catus amplissimi licet fines restringi. Hinc sapientissimus *Fridericus*, cum extra ordinem Imperatoris *Maximiliani* absentis vicibus fungeretur, literas *Cæsareas*, quibus cavebatur, munus hoc juri provisionis ordinariæ non obesse debere, *daß solche Annehmung des Stadthalter-Amtes Ihme an seiner Gerechtigkeit des Vicariats in Fürstenthum Sachsen in künstlicher Zeit unvorgreiflich und unschädlich seyn solle*, sibi sufficere non credidit, sed alias obtinuit, quibus illa hunc in modum mutata fuerunt, *daß Ihme solche Annehmung an seiner Gerechtigkeit des Vicariats, als einem Churfürsten zu Sachsen, und soweit sein Vicariat-Amt reicht, &c.* quod nimirum recte iudicabat, munus hoc sum ultra Ducatum priscum (hic enim intelligitur per Principatum *das Fürstenthum*) patere.

(a) Qui per jus *Franconicum Speculum Suevicum* intelligi credunt, eis non miror, etiam hic alterum speculatorem in mentem venire. *Sprengerus* videtur eandem sententiam sequi. *Fontes c. II. p. 146.* sed non satis sibi constar in hoc argumento. Leges, consuetudinesque Saxonum intelligit

sine dubio *Carolus*, secundum quas in Palatiis Saxonis jus reddebatur. Harum fragmenta & collectiones male congestas exhibent *Compilatores*, sed quis eas ideo juris Saxonici auctoritatem habere, aut *Carolum* de iis cogitasse credat? Perinde hoc est, ac si quis *compendium quodcumque aut manuale ff. vel J. jus civile appellare.* & leges, quæ hujus juris mentionem faciunt, de illo velit interpretari.

(b) *De Speculo utroque* res certa est. Privati scriptoris opera sunt. Plus autoritatis habere nequeunt, quam *Doctores*, qui de consuetudine patriæ suæ testantur. Minuit fidem, quod aliena sæpius immisceant, & legibus peregrinis jura Saxonica confundant, fabulas non raro ac ineptias tradant. *Quis has compilationes jus Saxonicum dicat? Weichbildo* sunt qui majorem auctoritatem tribuunt, ac ab *Ottone I.* etiam confirmatum esse contendunt. Sed his *HEIGIUS P. I. q. 8. n. 35. seqq. CONRINGIUS*, alique jam satis fecerunt. add. *D. MENCKEN. Programm. V. Dissert. adj. p. 884.*

(c) Sicuti nec, si post illa tempora quidam *Ordines* in partibus *Rheni* sponte

lis etiam Saxonicae abrogatae (d) fuerint, fines ea res Vicariatus Saxonici mutare non potuit (e). Olim Ordinibus quibuscunque integrum non erat legibus Saxonis renunciare (f), sed Summus *Custos et Interpres juris Saxonici*, idemque provinciae *Dux* (g) saltem intra fines Ducatus, ejus auctoritatem tuebatur. Post alii quoque Ordines praeter Duces potestatem ius condendi non una ratione, nec eodem tempore, sunt conse-

sposte leges Saxonum recipiant, Vicariatus Saxonici finibus eos subijci, existimaverim.

(d) Ita in *Marchia Brandenburgica* & Ducatu *Brunsvicensi* & *Luneburgensi* sublata est juris Saxonici auctoritas. Inter causas mutationis fuisse conjicio *metum*, ne Summo Saxonici juris Custodi & Interpreti potestatis legislativae partem in terris suis relinquere viderentur, *amorem* & admirationem *juris Romani*, *Immutationem* prisca *juris Saxonici* per Constitutiones *D. Augusti*, aliorumque Principum Electorum. add. *BURGOLDENS. P. I. Disc. 19. §. 8. p. 329.* ubi scribit, *Brunsvicentem* Duce *Henricum* juniorem ex odio erga *Electorem Saxoniae* jus Saxonicum sustulisse. Caeterum in terris juris Saxonici adhuc vigere praesumitur, nisi abrogatio doceatur, ut ineptire videantur, qui censeant *pro juris Romani usu potius, quam Saxonici* in quibusc. locis in dubio pronuntiandum esse. vid. *ARUM. Disc. III. ad A. B. th. 28.*

(e) *BUXTORFFIUS*, *RUMELINUS*, *ARUMÆUS*, *LIMNÆUS*, *BURGOLDENSIS*, *BECHMANNUS*, *GASTELIUS*, *THVLEMARUS*, & plerique omnes publici juris *DD.* consentiunt, quorum testimonijs paginas implere nolo. Neque nunc occurrit, qui dubitet, nisi for-

te *GIOVANNI Saxon. c. 3. n. 25.* & quem ille allegavit, *LUDWIGIUS in Comm. inedit. ad A. B. p. 581.* eo referri debeat. Causam certe dubitandi nemo habet. Nam cum hodie liberrima Principes leges rogandi & abrogandi utantur potestate, omnes provincias facile foret Vicariatus Saxonico subducere, si usum legum Saxonicarum veluti conditionem, sine qua Vicariatus se exserere nequeat, expressam esse contendas. Quod, quam ineptum sit, per se apparet.

(f) Dubitat *DD.* quo tempore legislativam potestatem Principes sint consecuti. vid. *Magnific. D. HORN. c. 60. §. 1. c. 63. §. 1.* Ego non omnium eandem rationem esse, Duces provinciarum dudum antea jus condendi facultatem habuisse credo, quam reliqui id consequerentur. Inde olim quavis provincia suo jure usa est, quod Ordinibus singulis immutare nequaquam licebat.

(g) *Electorem Saxoniae* defensores, *Custodem*, *Interpretem legum Saxonicarum* esse, constat. Mentionem ejus rei *HEIGIUS*, *RAUCHBAR*, *ALBINUS*, *ARUMÆUS*, aliique fecerunt. Nemo argumentum pro dignitate ejus persecutus est. Ego *quemvis Ducem Custodem juris* in provincia sua fuisse conjicio, adeoque eminentiam hanc ad Ducatum refe-

re.

consecuti: quo ipso tamen Interregum Germaniæ ius in partibus, quas cuique Aurea Bulla assignavit, interverti non potuit (h).

XXVII.

Itaque dudum Vicarii Saxonici, ne quis verba Aureæ Bullæ cavillari possit, in iis in primis literis, quibus Interregiam potestatem se suscepisse declarant, usi sunt titulo *Vicarii in terris iuris Saxonici & per fines Vicariatus Saxonico constitutos*, des Heil. Röm. Reichs in denen Landen des Sächsischen Rechts und am Enden in solch Vicariat gehörende dieser Zeit *Vicarius* (i). Optima sane ratione. namque ea formula continentur, & qui nunc etiam legibus Saxonum vivunt, & qui olim iis paruerunt.

Form. in Landen des Sächsischen Rechts &c.

XXVIII.

Hæc si colligamus, *ad terras juris Saxonici* nostra sententia referri debent (l). *Prisci & amplissimi Ducatus Saxonie fines*, quibus & *Westphaliam* & terras comprehendimus, quæ *Slavis* ereptæ Ducatui huic accesserunt (k). Dem *terras cæteras*, quæ simul ac Germaniæ regno unitæ fuerunt, aut dissolutis Ducatibus aliis, *legibus Saxonis uti* cœperunt, iisdemque

Fines Vicariatus Sax. nostra sententia.

ro. Sed juris, cujus amplissima olim vis fuit, quæ ne nunc quidem omnino expiravit, alibi rationem habeo.

(h) *Potestas legislativa Vicariatus neminem eximit*, alias Ordines, qui Palatinum Interregem agnoscunt, quoque, quod nemo dixerit, ei non amplius subessent. Itaque cum abrogato jure Saxonico non in alterius Vicarii potestatem concedant, nec ab utroque eximantur, Saxonico adhuc subesse intelliguntur.

(i) Eadem formula in literis Jo. Georg. I. & II. nec non in novissimis

Regis occurrit. Sed & *Fridericus Sapiens* Vicarium se dixit *am Enden in unser Vicariat gehörig*, it. in *Teutischen Landen und Provinzien in solch Vicariat gehörende*. In diplomatibus tamen Latinis observavi, hæc ita exprimi: *In locis, quæ jure Saxonico utuntur*. Quæ verba propius ad A. B. accedunt, sed eodem modo, ut de illa diximus, debent explicari.

(k) Marchiam enim Brandenburgicam, Misniam, Lusatiam, Ducatus Saxonici partes fuisse, infra dicemus; ubi, quæ hic afferimus, singula plenius persequemur.

(l) (l.) Cir-

que Imperatore Divo Carolo IV. usæ sunt. Tum demque terras, quæ Vicariatus Palatino non adscriptæ, neque utriusque exemptæ sunt, sive utrumque Vicarium sive Saxonem solum illæ proviforem Imperii agnoscant.

XXIX.

An ex Circulis æstimandi?

Sunt, qui hic malunt circulatorum rationem habere, & Saxonico Vicariatus Saxonico utrumque cum Guesphalico æstignant. Nec negaverim, plerasque illorum circulatorum provincias Vicariatus Saxonico subesse, plerasque etiam iuris Saxonici terras circulis illis includi. Alia tamen obstant, quæ minus in finibus Saxonici Vicariatus constituendis circulatorum admodum rationem habendam esse existimem (1).

XXX.

Terra Saxonici Jur. secundum Priezen. & Goldastum.

Indicem provinciarum, quæ olim iure Saxonico usæ fuerint, & Vicariatus Saxonico subesse debeant, passim quævis fere publici juris compendia exhibent (m). Sed plerique PRIZENIUM (n) & GOLDASTUM

(1) (I.) Circulorum divisio recentius institutum est, ex quo fines Vicariatum æstimari non possunt. (II.) Illa divisio in haud paucis turbavit immutavitque veterum provinciarum habitum & fines, inde (III.) quidam Ordines, qui his circulis non comprehenduntur, Vicariatus tamen Saxonico subsunt, e. g. Haslia. Immo (IV.) &, qui ad nullum circulum referuntur, Vicariatus tamen non exempti sunt, ut Rex Boëmiæ, &c.

(m) Vid. LIMN. L. 3. c. 12. n. 14. THULEMAR. c. 22. §. 5. BECHMANN. Exerc. 5. c. 4. p. 255. CARPZ. d. Leg. Reg. c. 11. S. 13. n. 9. aliique plures, quos evolere non vacat.

(n) JOACHIM GEORG. von PRIEZEN Compendium Juris Civilis & Saxonici scripsisse dudum, cre-

do, ignorarem, nisi BECHMANNUS, CARPZOVIVS & LIMNÆUS præfationis huius opusculi meminissent. Nunc quoque nulla ejus exempla supersunt, ut mihi quoque ipsum evolere non licuerit. Itaque adscribam locum ex LIMNÆO, ex quo alios quoque descripsisse non dubito. Ita vero ille: Joachim Georgius von Priezen in Compendii juris civilis & Saxonici præfatione, eam ad rem hæc habet: Die Königreiche Böhme, Polen, alle Schlesiße Fürsten, Marggrafen zu Brandenburg, Lausitz, Mähren und Meissen, item Düringen, bis an Franckenland, Ober- und Nieder-Sachsen, die Herzogen zu Braunschweig, und Lüneburg, und gantze beyde Ober- und Nieder-Sächsiße Crayße, bis an die

29

STVM (o) exscribunt, inque iis, quæ illi attulerunt, substitunt. Nos ex principiis, quæ modo posuimus, quæ terra ad Vicariatuum Saxonici fines referri debeant, facilius expediri posse, putamus.

XXXI.

Sed operæ pretium est plenius hæc persequi & præcipuas saltem provincias, Ordinesque Imperii commemorare, quæ juris Saxonici censeantur & ad Ducis hujus Vicariatuum referri debeant. Primum ergo certum est dubioque caret, Electoratum Saxonie terrasque illas, quas ipse Dux Elector tenet, & quas ex utraque linea oriundi Principes possident, ad provisionem Saxoniam pertinere (p), quamvis ex Principatibus,

Ad Vicar. Saxon. pertinent Electoratus & Principatus Sax.

D

bis,

die VVeser, darunter 28. Fürstenthum begriffen, haben sich nach dem Sachsen-Recht geachtet, und sich dadurch entscheiden lassen. Dessen sich auch noch das Erz-Stift Magdeburg, Sachsen, Stift Halberstadt, Fürstenthum Anhalt, Herzogthum Hollstein, Stormarn und Dietmarschen, samt denen Hartzgrafen, und darinn gehörigen Ständen und Städten meisten theils gebrauchen.

(o) GOLDASTI locus extat in der Vorrede der Reichs-Satzungen, quem operæ pretium est ut adjiciamus: Der Sächs. Kayserl. hohen Reichs-Pfalz sind unterworfen gewesen und noch unterworfen, si non de facto, attamen de jure, nicht allein die Sächsischen Land und Fürstenthum, geistlich und weltlich, wie die erzeblt werden im Sachsen-Spiegel, stracks im Anfang der ersten Vorred im teutschen Exemplar, und Lib. 3. a. 62. Schwaben-Spiegel lib. 2. c. 43. §. 5. sondern auch alle Fürstenthum, denen Sachsen-Recht von Römisch. Kayf. und

Königen seynd gegeben und zu halten auferlegt worden. Als da sind Poln, Böhmen, Mähren, Schlesien, Lausniz. Weich-B. a. 10. Schwaben-Sp. Lib. 2. c. 8. §. 3. Slaven und VVenden, Schleswick, Hollstein, Stormar und Dietmarschen; Sachsen-Sp. Lib. 3. a. 64. ubi gl. Pommern, Preussen, Lieffland, Littaw, Moscow und Samegitben. Gloss. in Weich-B. a. 10. In allen diesen Landen hat man Sachsen-Recht, und soll aus ihnen an Sachsen appellirt werden, wie in obangezogenen Orten des Sachsen-Spiegels und VVeich-Bilds klärlich statuirt und geordnet.

(p) Non una causa est, cur has omnes ad Vicariatuum Saxonium referimus. (1.) Pars terrarum, quas tenent, indubia est prisici Ducatus portio. (2.) Thuringia, Misnia, Lusatia quoque, cujus aliqui particulas possident, extra controversiam ad Vicariatuum Saxonium referuntur. (3.) Omnes utuntur jure Saxonico; ut taceam (4.) terras circulo

bus, quibus illi præfunt, *pars* quædam forte *prisco Saxonie Ducatui nequeat accenseri* (q).

XXXII.

*Terræ
Principum
Anhalt.*

*Lauen-
burg.*

Terras Principum *Anhaltinorum* & jure Saxonico usas fuisse & partem constituisse Veteris Ducatus, notissimum est (r), citra controversiam ad Vicariatum Saxonicum pertinent (s). Pertinet etiam *Lauenburgicum* patrimonium industria Saxonie portio (t), cujus nomen etiamnum retinet.

XXXIII.

culo Saxonico plerasque esse ascriptas, & subesse (s) genti Saxonice, Principibus ex Ducis stirpe oriundis. Cæterum observari meretur, *litteras Vicarii*, quibus interregnum declaratur, *transmitti etiam* (l.) ad eos Principes, qui non omnimoda gaudent superioritate territoriali, etiam intuitu provinciarum, in quibus ipse sublimitia sibi reservata jura exercet. Quin & (a) ad Barbienfis Comitatus possessorem licet feudum Ducatus Saxonici tantum teneat. (3.) Ad eundem Principem, qui pluribus provinciis præest, sæpius singularum causarum, e.g. ad Ducem Saxonie VVeisenselfem non modo Querfurtensis Principatus, sed & reliquarum terrarum causa; ad Ducem Gothanum, & ob Gothanas & ob Altenburgicas terras & perinde ad reliquos.

(q) Ita *Coburgicas* & *Hennebergicas* terras ad Franciam referunt GASTELIUS, SPRENGER. & Ill. COCCEJ. nec tamen hic differtur, acquisitas eas Domui Saxonice, & Saxonico Vicatui subesse c. 16. n. II.

(r) Inter septem Ducatus Saxonici vexilla *sieben Fabn-Lehn im Lande Sachsen* refertur Comitatus Ascanie. Land-R. L. 3, a 61. & in præfat. Spe-

culi inter eos, qui jure Saxonico utuntur, *die Herren von Lande zu Sachsen*, primo loco occurrit *der von Anhalt*, qui ex ipsa gente prisca Ascania Duces Saxonie per aliquot secula præfuerunt. Sed non opus est pluribus afferere id, de quo nemo dubitat. add. Ill. COCCEJ. c. 3. S. 3. n. 45. p. 59. & SAGITTARIUS ac BECMANNUS in *Anhaltin*.

(s) Rescripta, quibus Serenissimi Principes post acceptas a Potent. Interrege litteras Vicarium Imperium agnoscunt, subditisque suis declarant, formulæ quoque precum, quæ pro felici interregni administratione in illis terris funduntur, publice extant. Idh. l. non omittendum puto *Abbatie Gerrodenfis* causa peculiare ad Sereniss. hos Principes a Vicario Saxonico litteras transmitti. Nec immerito. Cum inter Ordines Imperii quoque locum Abbatissa olim habuerit. Conferantur de Gerrodenfisibus rebus POPPENRODIUS & *Celob. BECMANNUS P. III. L. I. c. VII.* in primis §. II. seq. p. 183.

(t) Dicitur enim *Sachsen-Lauenburg*. Ducatus prisce Saxon. partem esse, HELMOLDUS docet *Chron. L. 3. c. 1. n. 7.* & COCCEJ. l. c. Sed his non est quod immoremur. Dubio

XXXIII.

Brunsvicensium & Luneburgensium tam quæ Serenissimus Elector, quam quæ Dux Quelferbitanus tenet, eadem est ratio. Vicariatum Saxonicum æque agnoscunt (u). Ducis
Brunsv. &
Luneb.

XXXIV.

Magdeburgensis Præsul Ducatus Saxonici Archi-Episcopus (w) & saltim sub Imperatoribus Saxonis Germaniæ Præsul. Magde-
burg.

D 2

mas

bio enim ea carent. Hoc interregno Ducatus hujus ratione litteræ Vicariatus ad Sereniss. Electorem Hannoveranum missæ sunt, in quem jus, quod post mortem ultimi Ducis, Electores Saxonie acquisierant, certis conditionibus transtulerunt.

(u) Brunsvicensis & Luneburgensis Ducatus ex reliquiis Ducatus Saxonici ortus est, quæ Henrico Leoni & posteris ejus fuerunt restituta. Adeo nullum dubium subesse potest, quin ad terras provisionis Saxonice pertineant. Nam quod amplius legibus Saxonis non ubique utantur, id jam occupavimus *th. 26. lit. d.* Add. SPRENGERUS, HERMES, CARP-ZOVIUS *ll. cc.* Non sine causa ergo disquirat *Glossa ad Land-Recht l. 3. a 62.* cur inter septem vexilla Saxonie non referantur illæ terræ? Causas varias affert, nobis illa placet, Brunsvicensia ad Ducatum Saxonie pertinuisse. Reliqua excutere nunc non vacat. add. *Præfat. des Land-Rechts.* verb. : Der Hertzog von Luneburg, &c. *& Sagittarius in Origimib. Brunsvici.* Hoc interregno ad singulos Duces litteræ Regiæ missæ sunt, ad Quelferbitanum etiam *wegen VVal-*

ckenried. Caterum, ut hoc quoque addam, falluntur, qui *prisci Ducatus Saxonici jura*, quæ in nostros Principes omnia translata sunt, Ducibus hisce ascribunt, cum novus Ducatus, quem beneficio Friderici II. obtinuerunt, satis declaret, pristini Ducatus jura amissa, nec restituta esse. Falluntur etiam, qui, in *universam patrimonium Henrici Leonis* jus sibi asserere posse Serenissimos Duces, scribunt, quæ nescio an GIOVANNI sententia sit in *Brunsvic. c. 3. n. 12. c. 2. p. 61. & 65.* Sed hæc *ὡς ἐν παρόδῳ* indicasse sufficiat. Jam in viam nobis redeundum est.

(w) Non quidem per universam, habuit enim etiam Elector Moguntinus & Coloniensis, habuit etiam Archi-Episcopus *Brenensis* suos in Saxonie suffraganeos, sed per eam in primis Saxonie partem, quæ Slavis fuit finitima. Inde Archi-Episcopus *totius ultra Albim & Salam Sclavorum gentis modo ad DEUM conversæ vel convertendæ dicitur*, Diploma apud SAGITTAR. extat §. III. Has terras enim Otto omnes Ducatus, sive, uti tunc etiam dicebatur, *regno Saxonico* acquirere intendebat.

(x) De

mas (x) fuit. Magdeburgi *Palatium* (y) Dux habuit, *Burggravii* jura ipse exercuit (z). Nunc quoque ubi *Episcopatus* in

(x) De Primatu Magdeburgico LEUBERUS, SAGITTARIUS & HUEBNERUS agunt. Diploma Jo. XIII. exhibet SAGITTAR. §. 102. Sed uti Moguntinus, Colonienſis & Trevereniſis ab initio excepti fuerunt, quibus tantum æquavit, non prætulit Primatem Pontifex, ita & Salisburgeniſis poſtea juſ Primatus in dubium vocavit, Brementſis quoque vix agnovit. MALLENKROT. litem a Salisburgeniſi motam fuiſſe putat, ex quo hic hereditarium velut juſ Legati nati ſedis Apoſtolice obtinuerit. Mea ſententia Primatus Magdeburgicus ſub Imperatoribus Saxonicis in primis viguit, ubi regnum ad alios tranſlatum fuit, honor imminui cœpit, ut mirum non ſit, cum ex Boica gente Ducis Imperio præſſet, Boicæ Archiepiscopum jura Primatus in ſe tranſferre conatum fuiſſe.

(y) Fide hoc ſcribo *Illuſtris COCCEII*, qui c. 23. n. 7. *Palatii Saxonici Magdeburgeniſis* ſive *Hallenſis* mentionem facit. Licet vero *Autor Diſſertationis de Primatu Germania c. 2. §. 28. & de Jure Suffrag. R. Bohem. §. 14.* non opus eſſe putet fingere in Magdeburgicis *Palatium Saxonicum*, quale etiam LEUBERUS extiſſe paſſim negat, non tamen exiſtitem, ſententiam *Viri Illuſtris* deferendam eſſe. vid. in primis D. OCKEL. *ib. 86. ſeqq.* Neque vero exinde ſequitur, quod nulla ratione dari poteſt, *Palatinatus Saxonici juſ Magdeburgicis terris in hæſiſſe*, aut, quod ineptius etiam eſt, in *Archi-Epiſcopum* eſſe tranſlatum. Nam *Dux Saxonia*

in *Saxonia Palatinatum*, *Palatia habuit plurima*, in quibus juſ reddidit.

(z) *Burggravii Magdeburgici* ampliſſimam eſſe dignitatem & juſdiſſictionem ſcripſerat GIOVANNI Saxon. c. 2. verb. *Burggravius*. Sed in noviſſima editione deceptum ſequeritur fabulis aliorum. Scil. hoc quoque Decus Electorum Saxoniæ in dubium vocandum fuerat, & quæ pro juſte ampliſſimæ dignitatis Autor ſcripſerat, expungenda. Mihi *Viri Celeberrimi* cogitationes priores meliores eſſe videntur. Argumenta, quæ adfert, h. l. excutere ab inſtituto noſtro alienum eſt. Pauca ſas erit addere, unde plerisque dubiis ſatisfieri poſſe conſido. (I.) *Monasterii Magdeburgeniſis Advocatum* non debere cum *Burggravio* confundi. (II.) *Sine conſenſu Imperatoris*, aut, quod malim, *Ducis Saxoniæ* ne *Advocatum* quidem legere ſibi potuiſſe *Præſulem Magdeburgicum*, quod diplomata, quæ SAGITTARIUS aſſert, liquido evincunt. (III.) *Burggravium Magdeburgicum* in quamplurimis diplomatis *Norimbergico præponi*, cujuſ dignitatem in dubium *Giovanni*, non puto, vocabit. (IV.) *Comites Brevenſes* omnino inter *Ordines Imperii* fuiſſe, in diplomatis inter *Marchionem Brandeburgicum & Burggravium Magdeburgicum* collocari, immo a nonnullis inter *Principes* referri. (V.) Nec deſſe monumenta litterarum, in quibus *Burggravii titulus Comitatus* huic præferatur. Sed *Burggraviatus Magdeburgici dignita-*

SEM

in Ducatum mutatus (a) est, *jure Saxonico regitur*: quæ singula declarant jus in his terris Saxonici Vicaritus.

XXXV.

Non multum immorabor terris, quæ citra controversiam ad provisionem Saxonicam referuntur. Quis enim dubitet, quin *Halberstadiensis* Episcopi (b) nunc *Principis*, & *Hildesheimensis* *Præfulis* aliorumque terræ hoc numero debeant censerî? Nec rationem habere mihi integrum est singulorum *Comitum*, *Civitatum*, *Ordinum* utriusque Saxonix, quos nemo unquam credidit esse exemptos (c)

Halberstad. Princip. Hildesh. Episcop.

XXXVI.

Ad *Holsatiam* pergo. Cujus domini *Comites* olim *Saxoniae* & Ducis etiam *vasalli* fuerunt (d). Ad terras juris Saxonici omnes eam referunt (e): quin *Schlesvicum* etiam olim

D 3

olim

tem fati vindicavit *Magnif. HORNIUS*. ut plura addere sit supervacaneum. Caterum munus hoc *Ducatus Saxonico inbarere*, & ceteros, qui ei præfuisse leguntur, a Ducibus constitutos fuisse aut constitui certe debuisse, ex plurimis colligo argumentis, quæ alibi forte exponam.

(a) Itaque hic plures concurrunt causæ, ob quam ad terras juris Saxonici referatur hic Ducatus, qui & olim Saxonix pars fuit, & omni tempore legibus Saxonis, quarum in his terris maxima fuit auctoritas, paruit. Sed ad alia pergo, ne quis vitio mihi vertat, quo iam diu immorer rei, quam nemo, quod sciam, in dubium vocavit.

(b) Antiquissimus ille Saxonix Episcopatus, cujus historiam *Sagittarius* nobis dedit.

(c) Ita sine dubio ad Vicariatum

Saxonicum pertinent *Capitulum Quedlinburgense*, *Comitatus Mansfeldicus*, *Stolbergenses*, *Schwarzburgici*, *Schönburgici*, *Civitates Mühlbusa*, *Northusa*, *Goslaria*, *Hamburgum*, & quæ reliquæ; non attinet enim singulas commemorare.

(d) Nexus feudalis solutus fuit distracto post cladem *Henrici Leonis* Ducatu Saxonix. Inde sui juris facti *Comites* sine medio Imperio paruerunt, Ducatus jus a *Friderico III.* obtinuerunt. vid. *KRANZ. & MEIBOM. ap. COCCEJ. c. 3. S. 7. n. 45. p. 58. seq. add. Perill. Autor des Eur. Her. P. 1. p. 517. seq.*

(e) *GOLDASTUS*, *SPRENGERUS*, alii. Equidem *HERMES* a quibusdam ambigi dicit *C. 24. q. 21.* sed dubitandi rationes non addit, quæ quoad *Holsatiam* & *Ditmarsiam* nullæ adesse videntur.

(f) ADA-

lim *Saxonia Marchia* fuit (f), quæ nunc nec Imperio, nec Vicariatu Saxonico subest.

XXXVII.

*Bremens.
Ducat.*

Bremensium Archi-Episcopatus dudum Saxonie ascriptus est (g), ac non minus, quam ejus suffraganeus Episcopus *Lubecensis* (h) Saxonie Ducem Interregem agnoscit, ut non sit, cur disquiramus, an jura Saxonie in Ducatu Bremensi ferventur (i).

XXXVIII.

Westphalia.

Jam ad *Guestphalam* progredior. Hæc *Saxonia* quoque *olim juncta*, cum eademque, a qua sæpius divulsa fuit, sæpius iterum coaluit (k). Quæ *circulo Guestphalico* nunc ascriptæ provincie sunt, pleræque pertinent ad *Saxonicum Vicariatum*.

XXXIX.

(f) ADAMUS BREMENSIS scribit, *Henricum* Aucupem *Marchionem Schleswici* constituisse, & ut *Saxonum* colonia ibi habitaret, præcepisse. Ex quo loco patet, Saxonici Ducatus, aut, si mavis, regni *Marchiam* fuisse. Quæ nunc ejus conditio sit, CONRINGIUS, LIMNÆUS, COCCEJUS exponunt.

(g) Bremensium Episcopum olim *Colonienſis Archi-Episcopi* suffraganeum, & terras, quas possidet, *Guestphaliæ* accensitas fuisse, tradit *Ill. COCCEJ. c. 9. §. 14.* Ac prius quidem ex *ADAMO BREMENſI L. 1. c. 27.* satis constat *Saxonie* vero dudum ascriptas has terras esse docet *Ill. COCCEJ. l. c.* Quamvis, quod ad Vicariatum jus attinet, *parum intersit, ad quem circulum referas*, cum *Guestphaliæ* quoque Ducatus terris juris Saxonici ascribendus sit.

(h) *Lubecensem* suffraganeum Bremensis olim fuisse etiam ex *Land-R.*

L. 3. a. 62. constat. Jus Ducis Saxonici in, has terras inde patet, quod vix ab *Henrico Leone* impetrari potuerit, uti *Lubecam* transferretur. vid. *Perillustr. Autor des Europ. Herolds P. 1. p. 376.* Jus Vicariatus Saxonici in his terris indubium est.

(i) Sufficit enim, quod olim jus Saxonicum in hoc Episcopatu vigerit, immo quod partem Ducatus Saxonici constituerit. Cæterum de usu juris Saxonici in Ducatu Bremensi videri potest *CARPZOVIVS ad Leg. Reg. c. XI. S. 14. n. 5.* ubi in utramque partem testes excitat.

(k) Non ignoro, *Vestphalam* ad immediatas regni Germanici terras referri ab *Ill. COCCEJO IX. 12.* ejusdemque sub *Carolo M.* aliam, quam reliquæ Saxonie conditionem fuisse. *Saxonie* tamen portio ea est, *Saxonie* etiam *Ducibus* *Henrico Aucupi*, *Ottoni M.* *Henrico Leoni*, aliisque paruit. *Circulo Guestphalico* quadam ascripta

XXXIX.

Ipse *Electoꝝ Colonienſis*, qui *Ducis Weſtphalia* titulo utitur (l), immo Imperatoꝝ *Vicarius* etiam *per Weſtphaliam* quondam dictus fuit (m), quoad terras Weſtphalicas Saxoni- cæ proviſioni locum relinquit (n). Relinquunt etiam *Episco- pi Paderbornenſis, Oſnabrugenſis, Monasterienſis* (o) & *Her- vordeniſis Abbatiffa*, an & *Leodienniſis Præſul*, mihi non ſatis conſtat,

Episco- pi Gueſtphal.

XL.

Ducatum *Juliaci, Clivie & Montium* non diſpar cauſa eſt, quamvis aliqui eos excipiant (p). Ad Principes tamen, qui *Duc.*

Clivie, Ju- liac. & Mont.

aſcripta ſunt, quæ olim ad hanc provin- ciam non pertinuerunt, ſed & ter- ræ Gueſtphalicæ huic detractæ in ali- os circulos ſunt relatæ.

(l) Non quod Ducatum teneat, ſed quod Ducalem poteſtatem in terris ſuis fuerit conſecutus, ita explicat *III. COCCEJ. c. 18. n. 15. c. 10. n. 13.* Vid. tamen *SCHILTER. ad Jus Ale- man. Feudal. c. 42. §. 11. p. 243.* & *IM- HOFF. Notit. Procer. Imper. L. 2. c. 4. §. 6.*

(m) Ita in *Reformatione Judici- i Weſtphalici*, quæ apud *GOLDA- STUM* in den Reichs- Satzungen P. 1. p. 162. extat, *cap. 1.* dicitur *Electoꝝ Co- lonienſis, ein Herzog zu Weſtphalen, der Ihrer Kayſerl. Maj. Stadthalter iſt.* add. *Reformat. de ann. 1522. §. 1.* apud *Eund. p. 252.* & *DATT. de Pac. religioſ. L. 4. c. 7. n. 1. p. 774.*

(n) Neque enim *Vicariatus Colo- nienſis* (die Stadthalterſchafft), cujus modo mentionem fecit, *Vicario Saxo- nico* obſtare poteſt. Nam & parti- cularis & temporarius fuit & expira- vit cum *judiciis Weſtphaliciſis*, ad quæ

reſtriſtus erat, quod patet ex *cit. Re- form. de ann. 1522. verb. : Daß wir, als ein Herzog zu Weſtphalen, ſolcher Ge- richte Oberſter Stadthalter, und des löblich privilegirt ſeyn.*

(o) Ex his, quos nominavimus, *Præſulibus* inter *Episcopos Saxoniæ*, *Land-R. L. 3. a. 62.* nominatim refe- runtur *der von Balborn Padelburnen- ſis, der von Oſnabrück und der von Münſter*: additur etiam *der von Min- den*, ſed hic nunc *Principatus* ſecula- ris rationem habet. vid. *infr. th. 41.*

(p) *Autor anonymus* der *Hiſtor- und Politifchen Gedancken vom Abſterben des Kayſers Joſephi p. 68.* ſcribit: *Ei- nige nehmen Füllich, Cleve und Berg davon aus, weil dieſelben am Rhein ge- legen, zum alten Herzogthum Sachſen- niemahls geböret, auch kein Sachſen- Recht daſelbſt geweſen.* Sed prima ra- tio minus idonea eſt, niſi probetur, *Ducatus illos ad provinciam Rhenen- ſem pertinuiſſe*: altera & tertia for- tius urget. cum antea monuerim, non *circulorum*, ſed *Ducatum* ha- bendam eſſe rationem. Eſt tamen a- lia

qui nunc provincias illas tenent, literæ Vicarii Saxonici eo nomine non mittuntur, cum in ipsos Ducatus jure postulet, nec alios Duces agnoscat.

XLI.

Princip.
Mindæ,
Comit. Ol-
denburg.
aliique.

Principatus *Mindæ*, Comitatus *Oldenburgicus*, *Lippensis*, *Bentheimius*, *Waldeccia*, *Tecklenburgicus* & *Schaumburgicus* ex iisdem rationibus Vicariatus Saxonico ascribendi videntur, quamvis in *Schaumburgicum* Comitatum etiam *Palatinus Rheni* aliquando sibi provisionis jus vindicaverit (q).

XLII.

Frisia.

Nec de *Frisia* dubito (r), quamvis sint, qui, nescio quo autore, tradant, eam proximo interregno se Vicariatus Saxonico subducere voluisse (s), quod alii ad terras *Wilmund* & *Essen*

lia ratio pro Saxonie Duce, etiam si fateamur, non expeditum satis esse, an illa terra jure Saxonum usæ & Saxonici Ducatus partes fuerint. Nimirum saltem ex quo Ducibus Saxonie acquisitæ sunt, Vicariatus Saxonico sub esse cœperunt, & Ducatui, id est, terris Electoris accesserunt. Nam etiam in Svevos & Francos sibi subiectos Vicarium eum jus Alemannicum pronunciat. Nec *Clivia Ducis Vicariatus* nostris obstat, cujus meminit GIOV. in *Austria*. p. 373. Cæterum jus ipsum *successionis*, quod in Ducatibus hos nostris Principibus delatum est, novissime non uno loco lacescit, quem dixi, *Autor German. Princip.* Sed id certius est & evidentius, quam ut vindicias repetitas requirat.

(q) Festinatio & chartæ angustia non permittunt singularum, quas hoc *paragraphe* commemoravi, terrarum speciatim rationem habere. De *Schaumburgico* tantum Comitatu non omittendum est, quod animadvertit

Magnif. HORN. in pec. Programm. de Jure Vicariorum Imperii confirmandi Academiæ, partes aliquas provisionis in illo Palatinum anno 1619. sibi asseruisse, dum jus *Academiam* condendi Comiti concessit. Sed & recte Idem monuit, potius Saxonico Vicariatus illum Comitatum ascribi debere. Cui sententiæ Viri Magnifici omnino subscribimus.

(r) Non tam quia *Guestphalici* circuli membrum est, quam quia Saxonie veteris pars est. *Frisios* enim Saxonos esse constat.

(s) Communis DD. *Juris Publici traditio* est, proximo interregno *Ost-Frisie* Principem Vicariatus Saxonie locum relinquere noluisse. In causis exemptionis etiam inquirunt. Illustres *COCCEJUS* p. 306. quo nescio autore, scribit, *circulo* Burgundico *Frisiam* se afferere voluisse, quod ab alio traditurum non legi. Plures eam causam allegant, *Frisiam* olim *Burgundie* feudum fuisse. vid. *SPRENGER. de Vic.* p. 157.

Essen (t) restringunt (u), sed has quoque sine idonea ratione excipi censeo (w).

E

XLIII.

p. 175. (qui libellus, ut hoc obiter addam, anno 1665. prodiit, sed anno sequenti sub titulo: *Fontes Juris Publici, denuo est recusatus*). Alii exemptionem ab Imperio eam pretendere conjiiciunt. vid. LUDWIG. in *Saxon. c. 3. n. 26. lit. y. pag. 149.* Ideoque nec Interregibus parere. Sed sicuti nemo, quod sciam, idoneis monumentis probavit, Saxoniam Electori a Frisiiis litem motam fuisse, ita rationes, quas adducunt, nullius ponderis esse, facile apparet. (I.) Circulo Burgundico ascriptam *Frisiam* esse, frustra asseritur, ut vix credibile sit, quod *Illustris COCCEJUS* scribit, ipsos Frisios in ea sententia fuisse. (II.) Sed fac, ad circulum illum relatos olim esse: jam sepius monuimus, *circulorum rationem in finibus Vicariatum non admodum esse habendam.* (III.) Nec nexus feudalitatis, quem alii allegant, efficere potest, ut terræ juris Saxonici esse definant, quæ olim ad illam provinciam pertinuerunt. (IV.) Ab Imperio autem exemptos *Frisios quis dixerit*, qui & onera Imperii ferunt, & investituram ab Imperatoribus petunt, vix putem, ipsos Frisios hanc rationem allegaturos fuisse, etsi de Vicariatu litem movissent. Ex iisdem rationibus, *Palatinum provisionem Imperii in Frisia sibi asserere non posse*, patet, cum nec Rhenensis provinciam, nec Sæviarum, nec Franciæ pars sit: unde ipse *Ill. COCCEJUS* recte eam Saxoniam vindicat *l. c. Vicariatus* autem *Frisiæ perpetuus*, quem alii *Austriæ Archi-Ducibus*, alii Regi Hispaniarum tribuunt, & quo *Marchiones Mis-*

na etiam aliquando functi sunt, huc non pertinet, nec Vicariatum Saxonium excludit. Ceterum *Essen* civitatem contra Principem *Frisiæ* libertatem tueri *GASTELIUS*, *IMHOFF* & *SPRENGERUS* tradunt, *GASTELIUS* etiam Vicariatus Saxonico eam eximere videtur. Quod nec negare velim nec affirmare, uti nec mihi constat, an unquam Interreges literas ad eam dederint Vicariatus causa.

(t) Quoad dynastias *Witmund* & *Essen* eam ob causam Vicariatum Saxonium non agnovisse Ost-Frisium, quod illæ feuda sunt *Ducatus Geldriæ* & *Comitatus Zutphania* tradunt *SPRENGERUS*, *LIMNÆUS* ad §. 2. *Cap. V. A. B. Obs. 4. CRÜGER de Novem Vir. p. 394. THULEMAR. c. 22. §. 7.* Immo *PFEFFINGER. ad Vitriar. L. 1. r. 11. lit. g. p. 271.* scribit: *Ducem Ost-Frisium ann. 58. Vicariatus Jo. Georg. I. (Jo. Georg. II. debebat scribere se opposuisse.* Sed uti rationes, ob quas id factum memorant, minus idoneæ sunt. add. *COCCEJ. c. 4. §. 9.* ita, fateor, dubito adhuc, an id, quod tanto consensu memorant DD., factum omnino fuerit, cum nec testes idoneos nominent, nec monumenta asserant, ut omnis illa traditio *SPRENGERI* fere fide nitatur, quem reliqui videntur esse secuti.

(u) *THULEMARUS* & *PFEFFINGER. ll. cc.* addunt *Stetesdorff*, alii etiam *Fretenbosen*.

(w) Nam & illæ quoque iuris Saxonici fuerunt. Feuda quondam *Senatus*

XLIII.

Thuringia. Redeo nunc ad *Thuringiam*, cujus *Landgravius* (x) ipse est *Dux Saxonum* in terris sui juris Vicarius. Eam ergo pariter provisioni ejus vindico (y), nec tantum partes, quas ipse tenet, sed reliqua etiam, quae *Principes Saxoniae*, *Electo Moguntinus* (z), alii Imperii Ordines ex veteris *Landgraviatus* latinis possident.

XLIV.

Hassa. Ergo & *Hassam* (a), quam minus recte Saxonico detrahunt

senatus *Bremenensis* secundum *KNIPSCHILDIIUM d. Civit. Imper. L. 3. c. 6. n. 22.* quod licet in dubium vocet *SPRENGER. de Vicar. p. 176.* ex annualibus tamen *Bremenium* certissimum esse, monet *III. COCCEJ. c. 16. n. 11.*

(x) Dico *Ducem Saxoniae, Electorem*, inquam, *Thuringiae Landgravium*. Is enim *Landgravius* jura solus habet, ex quo ea *Caroli V.* investitura in *D. Mauritium Electorem* sunt translata. vid. *HORTLEDER. T. 2. L. 3. c. 72. & c. 88.* Quamvis itaque aliquae *Landgraviatus* dynastiae *Jo. Frider.* posteris *Principibus Saxoniae* restituta fuerint, illique etiam titulo *Landgravorum* utantur, jura tamen *Ducatus Saxonici* sibi possunt vindicare. Inde jus dicendi *sententiam Landgraviatus* causa merito sibi soli *Rex* noster asserit.

(y) *Thuringia* pars *Saxonibus* olim esset cum *Francis* juncti, cum sibi pulso *Hermingrigo Rege* subjecerunt. Sub *Otone Henrici* patre *Saxonia* & *Thuringia* ita unita fuerunt, ut unius provinciae rationem habere viderentur. *Lotharius Ludovicum* generum *Landgravium Thuringiae* here-

ditario jure fecit: *prisci Ordinis Ducatus* ac *peculiaris provinciae* rationem ex eo tempore *Thuringiam* habuisse, quod *GIOVAN. in Sax. c. 2. p. 96. lit. p.* asserit, probabile non videtur. Itaque ne tunc quidem *prorsus Ducatus Saxonico subtractam* credo, cujus *Palatinatu* etiam *Landgravius* postea defuncti sunt. Id certum est, *Saxonico* jure *Thuringiam* usam & ad terras omnino pertinere, quas *Carolus IV.* *Vicariatus Saxonico* assignavit.

(z) Ergo & *Erfordia*, cujus protector est *Electo Saxoniae*, v. *Perill. Aur. des Europ. Herolds p. 204.* & *Eichsfeldia*, quae *Ducibus olim Saxoniae* paruit, a *Moguntino*, *proscripto Henrico Leone*, capta, ceu tradit *Giovanni in Brunsvic. L. 6. c. 1. p. 17.* Neque enim, quod *Moguntino* *Prasuli* pareat, *Vicariatus* eam eximit.

(a) Nam perinde ac *Thuringia* (1.) jure *Saxonico* olim usata est, (2.) *Ducatus* *prisci Saxonici* portio fuit. conf. *SAGITTAR. de Antiqu. regn. Thuring. L. 2. c. 12.* inde *jas Alemannicum*, (3.) *Hassam* *disertis* verbis ad *Saxonium Vicariatum* refert. *Conf. CARPZ. ad L. Reg. c. 11. S. 13. n. 3. ARUM. Vol. 3. Disc. 1. th. 36. BUXTORFF. ad A. B. th. 57. & III. COCCEJ.*

trahunt & ad Palatinum Vicariatum alii (b) transferunt: Hac enim *Thuringica hereditatis portio, quam integram Misnenfes adire debebant* (c), non alio, quam reliquæ Landgraviatus terræ jure censerî potest, quemcunque in circulum fuerit relata.

XLV.

Nondum de terris *Venedorum* diximus, quas proprium Ducatum constituere non ita pridem ab haud paucis traditum

Terra Venedorum.

E 2

est

c. 4. §. 9. quamvis sibi non satis constet c. 16. n. 11.

(b) Palatini Vicariatus Hasfiam accensent GASTELIUS, DIETRICHUS ad A. B. SCHÜZ. V. 1. D. 5. th. 13. SPRENGER. in *Fontib. seu in Tr. de Vicariat. p. 177.* HERMES c. 24. n. 12. LIMNÆUS ad A. B. c. 5. §. 2. *Obs. 5.* quem sequitur CRÜGER. p. 392. & PFEFFINGER. ad *Viriariar. L. 1. r. 11. lit. g. pag. 271.* Argumentis, quæ afferunt, facile satis fieri potest. Urgent (I.) Saxonis legibus in Hasfia locum non esse. v. SPRENGER. l. c. & GIOVAN. in *Saxon. c. 3. §. 26. lit. u. pag. 148.* immo (II) eas nunquam ibi auctoritatem habuisse. HERMES, SCHÜZIUS, CRÜGERUS. (III.) Hasfiam extendisse fines per terras Franci juris III. COCCEJ. cit. c. 16. n. 11. add. *Clar. TURCKIUS Geogr. German. med. ævi §. 41.* ibique WERLHOFIUM. (IV.) Provinciæ sive circulo Rhenano annumerari. Erklar. des Land-Friedens zu Nürnberg. de an. 1522. tit. 2. §. 8. & *Rec. Imp. de ann. 1500. §. 1.* der vierde Krey. PFEFFINGERUS, SPRENGERUS, GASTELIUS, aliique. Ad (I.) respondeo, mutationem juris fines Vicariatus non mutare. Ad (II.) Ducatus tamen Saxonici partem fuisse Hasfiam, immo & legibus Saxo-

nicis olim vixisse. Ad (III.) Nondum expeditum esse, quæ accessiones Hasfiæ ad Franciam olim pertinerint, & ipsam saltem, quatenus *Thuringia portio est, Saxonico Vicariatus eximi non posse.* Ad (IV.) Circulos neminem turbare debere, per quos non parum veteres provinciæ turbatae sunt, ut ex recentioribus hisce Imperii in decem districtus divisionibus æstimari Vicariatum limites nequeant. Quod cum ipse III. COCCEJUS passim tradat, miror, eum banc pro Domino quondam suo, pro Electore Palatino rationem allegare.

(c) Henrici Raspothonis hereditatem integram Marchionem Misniæ jure summo sibi vindicare potuisse, manifestum est, cum cognatione propius, quam puer Brabantinus eum attingeret; ut reliquas causas, quibus prævalebat, iudicium defuncti & investituram Cæsaris omittam. Cedere de iure suo, quam contendere Misnenfes maluerunt; itaque contenti Thuringia Hasfiam Brabantino reliquerunt. Pacta mutuaë successionis post inter utramque gentem inita & sæpius repetita fuerunt, quæ & alia necessitudinum vincula efficiunt, ut Vicariatus Saxonici iura Hasfos non existimem in dubium

VOCA.

est (d). Quod sicuti idoneis rationibus nondum comprobantur, qui asserunt (e), ita certissimum est, omnes, quas eo referunt, *provincias Saxonico Vicariatus subesse* (f).

XLVI.

vocatuos. *Fus voti*, quod Landgraviatus causa competit, non omnino in Hassios translatum fuisse, ut *Ill. COCCEJ. censet c. 15. §. 23.* jam indicavimus, immo Marchiones, ex quo Raspothoni successerunt, *tanquam Landgraviis* etiam in Imperii curia sententiam dixerunt. add. *Magnif. HORNII Programma de Voto Thuringico.*

(d) Inter paradoxa Juris Publici referas, quod traditum est ab *Ill. COCCEJO c. 3. S. Marchiam Brandenburgensem Ducatum* iusti jam ab *Henrici Aucupis aetate rationem habuisse*, & vix dici tamen potest, quo consensu eandem sententiam postea alii sint amplexi, etiam *Ill. THOMASIVS ad Monzamb. c. 3. §. 3. lit. c. p. 162. GIOVANNI, TITIUS*, aliique, quos commemorat *Dn. Praeses in Programm. de Gerone Duce.*

(e) Equidem magno conatu id egit, ut *Ill. COCCEJ.* sententiam assereret Amplissimus *LUDWIGIVS in Formula Ducatus Brandenburgici*; sed si verum fateri licet, omnia, quae attulit, ne probabilem quidem eam sententiam reddunt, nedum ut liquido ostendant, Marchiones Brandenburgicos primi Ordinis fuisse Duces. *Geronom* Marchiae Brandenburgicae causa Ducem dictum non fuisse, eo, quod modo allegavi, *programme* abunde evicit *Dn. Praeses*. Sed *epitaphium* hujus Lusariae Marchionis *si rollas*, corrumpat necesse est, quicquid marmoris huic conditores novae formulae superstruxerunt. Et quis Duces

dicat fuisse Ottonum tempore Marchiones Serenissimos, qui ante extinctum Sveviae Ducatum inter Septem-Viros vix ullum habuerunt locum. Jam rationibus temporum repugnat *Ducatum* fingere (loquor de Ducibus primi Ordinis), qui *nec Palatium habeat, nec Palatinum*, cui nulli Marchiones & vix Comitibus aliqui subint. Ipsum nomen Marchionis ita comparatum est, ut Ducatum excludat, & quos Vir Cl. commemorat, *Mark-Herzoge* incogniti fuerunt Germaniae, usque dum novam hanc Principum classis Viri Celeberrimi comminiscerentur. Nolo plura addere. Nec enim singula, quae afferuntur, h. l. licet excutere. Haec tantum ideo praemouenda fuerunt, ne, dum ex *Ducatus* *prisci jure Vicariatuum Saxonicum* *repeto*, *Ducatus Slavicae rationes* quis *obstare mihi possit existimare*, quo minus eas, quas jam commemorabo, terras ad provisionem Saxoniam liceat referre.

(f) Nullus ego dubito affirmare, omnes illas terras olim ad Ducatum Saxoniae pertinuisse. Ingenue Clariss. *TURCKIVS Geogr. Med. av. §. 51.* omnia, quae Slavis erepta fuerunt, paruisse Saxoniae Ducibus, quamvis *Marchiam frustra excipiat*. Ipse *Ill. COCCEJ. c. 4. n. 3. partes Vandaliae sensim regno accessisse & vicinae provinciae, Saxoniae scilicet ascriptas esse*, fatetur. Quod an iis, quae *c. 3. S. 5.* tradit, conciliari possit, alii viderint. add. *Id. c. 12. 8.* ibique *Arnold. Lub.* Quamdiu Saxones regno praefuerunt, indubium

XLVI.

Subest primo ipsa *Marchia* (g), quæ nunquam puto ex-
 emtam se asseruit, vix ut causas assequar, ob quas nonnulli
 dubitant, an limitibus provisionis Saxonicae ea includa-
 tur (h). *Marchia Brandeb.*

XLVII.

Subest etiam *Lusatia* utraque ex iisdem causis (i), *Lusatia.*
 nec,

E 3

um est, terras barbaris confines sub
 eorum imperio fuisse. Hinc tute-
 lam illarum non minus, quam Saxo-
 nia Vicario Billingio commisit Im-
 perator Otto. Idem in his locis Sa-
 cra ordinavit, Comites constituit, &
 uti in reliqua Saxonia, ita etiam in
 his Ducatus accessionibus summa u-
 sus est potestate. Neque ubi impe-
 rium ad alias gentes transit, Slavicae
 terræ pars Saxoniae esse desierunt, im-
 mo Henrico Leoni, Alberto Urso, aliis-
 que Ducibus plerasque paruisse ex
 ADAMO BREMENSI, HELMOL-
 DO, KRANZIO, aliisque constat. Sed
 singularum provinciarum mox habe-
 bimus rationem.

(g) Non una ratio est, ob quam
 citra controversiam *Marchia* huc re-
 ferri debet, (I.) Olim *jure Sax. usa*
 ea est, (II.) *Saxonia* Ducatus accessio
 & *Marchia* etiam perinde ac *Lusatia*
 & *Misnia* fuit, (III.) Inter *Saxoniae*
vexilla refertur, Land-R. L. 3. a 62.
 Immo (IV.) sunt, qui *feudum etiam*
Saxoniae fuisse contendunt: Ut (V.)
 non sine causa in *circulo* Saxonico
 relata fuerit: Inde (VI.) plerique DD.
 eam terris juris Saxonici accensent;
 sed mihi duo testes sufficiunt, III.
 COCCEJUS c. 16. n. 11. & D. JO.
 SAM. STRYCK. in *Controv. A. B.*
 2b. 66.

(h) Dubitare videtur GIOVAN. in
Saxon. p. 149. lit. a. &, quem ibi allega-
 vit, LUDWIGIUS. Sed causas non
 addit, cur dubitet, & certi satis su-
 mus, idoneas nullas afferri posse: non
 quod *Marchia* jure Sax. amplius non
 utatur; satis enim est, olim usam es-
 se; non quod Ducatus rationem ha-
 beat, nam hoc frustra supponi, §.
præc. diximus, & ab iis objici nequit;
 qui jus Vicariatus ex Archi-Marchia
 schallia repetunt: non denique, quod
 ipsi *Marchiones* Brandeburgici ali-
 quando *Vicariatum* gessisse legantur.
 Vid. GIOVAN. in *Brandenb. p. 458. 490.*
 & 604. nam Vicariatus ille extraordi-
 narius fuit, & jus provisionis ordina-
 riæ impedire nequit.

(i) Quas modo attulimus *lit. g.* nam
 & hæc *Saxoniae* *Marchia* est, cujus Co-
 mes Gero *Marchio adversus Slavos* ap-
 pellatus fuit. quod elogium miror ad
 Brandeburgicam *Marchiam* referri ab
Autore Form. Brandenb. p. 86. lit. c.
 cum & incertum sit, an illi unquam
 Gero præfuerit, & hoc certissimum,
 Geronem Marchionem Slavici oppo-
 situm fuisse, antequam in Sigfridi pro-
 vinciam succederet. Neque vero
 quisquam puto ideo *Lufatos* a Vica-
 riatu Saxonico, quod Slavici juris illi
 sint, excludet. Nam & ipsos jus civi-
 tatis Germanicæ consecutos esse, *pec.*
Pro-

nec, quod Bœmiæ juncta fuerit (k), sententiae huic obstat. nam nec eam a Vicariatu Saxonico exemptam esse suo loco evincemus.

Misnia.

XLVIII.
Eadem Misniae conditio est. Tres enim Marchiæ ab eodem Henrico Aucupe conditæ Ducatui Saxonico eadem lege junctæ (l) videntur. quamvis ipsos *Misnenses Vicariatu defunctos* fuisse sint, qui tradant (m).

Mechlenburg.

XLIX.
Nihil ergo obstat, quo minus & terras *Mechlenburgicas* (n) &

Programm. Dn. Præses afferuit, idemque MANLIUS, GOLDASTUS, SAGITTARIUS & SCHURZFLEISCHSIUS confirmant.

(k) Non modo diu paruit Bœmis Lusatia, sed & nunc quoque, ubi ad *priscos Dominos Duces Saxonie & Misniae Marchiones* rediit, Bœmiæ feudum est. Sed inde aut jus civitatis Germanicæ amisisse, aut Vicariatu exemptam esse, frustra quis collegerit.

(l) Ita vulgo origines Misnenses & reliquarum Marchiarum ad Henricum Aucupem referunt. quamvis aliter sentiant. Uti Marchia, ita etiam *Misnia & Lusatia vexillis Saxonie* jure provinciali accensetur. Jus Germanicæ civitatis Misniæ Marchionibus vindicavit *Magnif. HORN*. add. *Programm. Dn. Præsidis de Jur. Civit. Germ. Lusator. lit. e. seq.* Jura autem Marchionum Misniæ ad Electores Saxonie translata esse, ex iis, quæ supra de Thuringiæ Landgraviatu *thes. 43. lit. x.* diximus, intelligitur.

(m) Sunt, qui *Palatinatus causa*, de quo Misnenses, antequam Ducatum Saxonicum obtinerent, investiti fuerunt, *Vicariatum Imp. eis tribuunt*;

de quo, quid sentiam, antea exposui. Hoc loco illud tantum observo, *Vicariatum Imperii per terras Misnensem, Orientalem & Pleissensem* a Bœmis ad Misniæ Marchiones translatum esse, quod testatur *LEUBERUS de Stapul. n. 117.* Hoc jus an expiraverit, nescio, Vicariatu Saxonico tamen obesse non puto: *Ducis enim generalis provisio est, Marchionis particularis fuit, quæ illam non excludit.*

(n) Henricus Leo Meclenburgica in suam potestatem redegit. Universam illam Slavorum regionem factam esse veluti unam *Saxonum coloniam*, scribit *HELMOLD. Chron. Slavor. L. 2. c. ult. n. 4.* Idem Brebislaum addit deposita diuturna *rebellionis* obstinatione sedisse quietum *d. l.* Inde Principes Meclenburgicos *Duces Saxonie comiter habuisse*, & quæ illis e re visa essent, non aspernatos fuisse, docet *SCHURZFLEISCH. in Meclenburgic. §. 9.* add. *Summ. Vener. V. E. LOESCHER. in der Einleit. zur Hist. med. xvi p. 238.* ubi *Meclenburgicos in Ducum Saxon. clientela fuisse docet.* Utrum postea Principes Meclenburgici

& utramque Pomeraniam (o) huc referamus. *Nodum in scir- Pomerania.*
 po quaerunt, qui hic haesitant, & nihil quicquam audent de-
 finire (p).

Sed quid de *Slavia Orientali*, de Bohemia, inquam, Si-
 lesia Moraviaque (q) dicemus? Quicquid alii censeant, ego
 GOLDASTUM recte puto *Bohemiae* mentionem fecisse, cum *Bohemia.*
 fines Vicariatus Saxoniae commemoraret. Constat enim, ex

Pala-

gici vassalli Brandenburgici facti fuerint, & veste Brandenburgica (*Brandenburgische Liberty*) induci in aula Electorali comparuerint, quod *Antor formulae Brandeb. p. 75. & 89.* tradit, de eo alii viderint.

(o) Non modo Pomerania jure Saxonico usa est, GOLDASTO teste, sed & Saxoniae Ducibus olim paruit. Servierunt Henrico sub tributo Wagrii, Obotriti, Pomerani & universae Slavorum nationes, quae sunt inter Albiam & mare Balticum, & longissimo tractu portenduntur usque ad terram Polonorum scribit HELMOLDUS *Chron. L. 1. c. 36.* Miror vero *Celeb. Schurzseisibium* nostrum negare, ex eo loco colligi posse, in *ditionem Henrici redactos Pomeranos fuisse*, cum Obotritos & Wagrios, quos HELMOLDUS eis jungit, redactos fuisse fateatur, & HELMOLDUS statim subjiciat, super *hos omnes imperasse Henricum*, vocatumque esse *Regem in omni Slavorum & Nordalbingorum provincia.* add. LUDWIG. *Form. Ducat. p. 88. lit. f.* ubi, quae diximus, confirmantur. Frustra tamen subjicit *Vir Cl.*, in omnia jura Henrici successisse Marchiones Brandenburgicos inhaurato marchionatu Slavorum. Nam nec *Marchia ad-*

versus Slavos Brandenburgica, sed *Lufatorum* est, nec omnem Slaviam complexa, & in clientela Ducum Saxoniae fuit. Gero enim Dux & *adversus Slavos Marchio Comes Saxonie* dicitur. v. GOLDAST. *Rev. Alem.*

Tom. III. p. 65. In iis, quae ex *Schurzseisibio* addit p. 89, omittit illa: *prae-ter meritum*, Ludovicum contra Pomeranum pro Brandenburgico judicasse. Sed haec nolo persequi, quae ad institutum meum non pertinent.

(p) HERMES dubitat *c. 24. q. 21.* & socium nominat SPRENGERUM. Sed hic *in fontibus*, sive in libello de *Vicariatu* nobiscum consentit p. 177. Consentit & GASTELIUS p. 397. n. 15. aliique. Nam, qui terras, ubi juri Saxonico derogatum sit, Vicariatu eximunt, nimis inepti sunt, non merentur toties refelli.

(q) Boemos, Silesios, Moravos, Slavos Orientales dicunt, quibus Venedi, Slavi Boreales opponuntur, vid. III. COCCEJ. *c. 3. S. 7.* alii etiam Luficos & Misnenses illis accensent. Polonos & reliquos, quos addit *Vir III.*, data opera omisimus, cum hic de iis tantum, qui finibus Imperii continentur, agamus. Habebimus tamen suo loco & eorum rationem.

(r) Boe-

Palatiis Saxonis jura Boëmos petiisse, & Carolo IV. etiam imperante magnam legum Saxoniarum inter eos fuisse auctoritatem (r). Itaque ut reliquæ terræ Slavorum, quæ quidem Imperio subsunt, ita & Boëmia ad provisionem Ducis Saxonici pertinet (s). Neque aut regni privilegia (t), aut quod ipsi Reges aliquando Vicarii fuerint (u), & quæ aliâ obiciuntur

(r) Boëmiam legibus Saxonum vixisse, ex *Weichbildo* a 10. constat, & luculenter *GOLDASTUS* in *præclaro Opere de Regn. Boëm. L. 4. c. 15. n. 6. L. 4. c. 13.* atque passim aliis locis docet. Conf. *HERT. de Renov. Imp. & Bohem. nex. Sect. 2.* Neque juris hujus tempore Aureæ Bullæ auctoritas expiraverat: quin &, quibus nunc utuntur, leges magnam partem ex illo desumptæ sunt.

(s) Omnis Slavia, qua Germaniæ juncta est, Vicariatum Saxonicum agnoscit, ergo & Boëmia, nisi exemptam esse probetur. Quid quod ipsi Boëmiæ Ordines anno 1619. D. Jo. Georg. I. provisionem sibi exorare non dubitavere. Extant literæ apud *LONDORPIUM T. I. p. 575. c. 5. in f.* quibus ipsius opem, tanquam Imperii Vicarii implorant, *dass er, als Vicarius, ihnen, als einen vornehmen Chur - Fürstenthum des Reichs, mit Gnade, Rath und Hülffe gewogen seyn möchte.* Porro *Speculum Alemannicum c. 42. §. 6. verb. Unze gen Böhern,* non tam excludere, quam comprehendere Boëmiam videtur; quamvis ejus auctoritate nobis non opus sit. Sufficiunt enim, quas recensuimus, rationes. Itaque recte hic *Goldastum SPRENGERUS, LIMNÆUS, HERMES* sequuntur. add. *Perill. Ant. des Eur. Her. p. 164.*

(t) *III. COCCEJUS* quamvis fateatur, si quid ex Boëmia ad Imperium deferatur, illam ad jus Saxonicum referri, negat tamen, Vicariatui subesse, quia Regem proprium habeat, nec adeo vacet. Cujus argumentum me non percipere ingenue fateor. Nam uti aliæ provinciæ Duces, Principes, Marchiones habent; ita & Boëmia Regi suo & Electori pareat, sed qui illas non eximit Vicariatui, nec hanc excludere potest. Imperatori enim & Imperio etiam regnum hocce subest. Non plus proficiunt, qui urgent, Boëmiam suis legibus vivere. Nam olim Saxonico jure usam eam esse sufficit.

(u) *Reges Boëmiæ Vicariatu Imperii* aliquando extra ordinem defunctos esse, non negaverim, & ex *GOLDASTO* constat *L. 3. c. 9. add. quæ de Vicariatu per Misniam & adjacentes terras ex Leubero attulimus th. 48. lit. m. & quæ ex Spangenbergio habet PFEFFINGER. ad Vitruv. p. 271. lit. e. & LUDWIGIUM in Dissertatione, quæ suffragii jus Boëmiæ asseruit p. 97. lit. x.* Sed huic argumento nullam vim inesse ad Vicariatum Saxonici jus infringendum, ex iis liquet, quæ de aliis Vicariis temporariis, extraordinariis, particularibus jam aliquoties me meminisse admonuisse.

(w) Ur-

ciuntur (w), ab hac sententia quenquam possunt dimovere.

LI.

Silesia quoque jure Saxonico, *Goldasto* teste, usa est (x), *Silesia*. ejusdemque cum Boëmia conditionis censerī debet (y). Qui ipsos in terris suis Vicarios *Silesiæ* Duces fuisse objiciunt (z), Vicariatus illius rationes ignorant, & cum universali Imperii administratione perperam confundunt.

F

LII.

(w) Urgent alii privilegia *Domus Austriacæ*, quæ in terris suis nullum Vicarium agnoscat. De his supra diximus. Sed ad Boëmiam illa & *Silesiam ne antiquam pertinent*, si vel maxime Austriam a Palatino Vicariatu liberam esse concedamus. Alii quod circulo nulli adscripta sit *Boëmia*, objiciunt. v. *ZWANZIG Theatr. precedent. P. 2. p. 13.* Verum inde quoque ad Vicariatum neutrum eam pertinere minime consequitur.

(x) Quid dico usâ est? Hodieque juris Saxonici non exigua est in *Silesia* auctoritas, quod HENELIUS *Silesiograph. c. 7.* SCHICKFUS *Chron. Siles. L. 3. c. 22.* monent. Excoluit hoc argumentum STRYCKIUS *pec. Dissertatione*. Olim autem etiam ex Palatiis Saxonie jura *Silesiis* reddita esse GOLDAST. *Rer. Boëm. L. 3. c. 14. L. 3. c. 16. n. 27.* docet. Immo seculo etiam XVI, appellationes ad tribunalia Saxonica non infrequentes fuisse inde colligas, quod lege lata Rex prohibere eas necessarium duxerit, instituto summo in Metropoli provocationum Senatu. Neque est, quod quisquam excipiat, *Silesiam* finibus Imperii non contineri, adeoque usum Saxonici juris pro Vicariatu Saxonis

frustra allegari. Germaniæ enim *Silesiam* dudum *Coringius & Schurzschibus*, ac novissime vindicavit *Auroræ* der gründlichen *Deduction der Evangelischen Schlesier Religions-Freyheit.*

(y) Postquam Boëmiam Vicariatu Saxonico vindicavimus, facile est, *Silesiam* etiam ei asserere. Nec necesse est, ut rem ab Henrici Aucupis & Ottonis Imperio repetam. v. *cit. Deduction. der Schlesier Freyheit.* cum sufficiat, eo, quo Bulla Aurea condita est, tempore Saxonica jura apud *Silesios* esse servata. Reliqua non repetam. Jus Saxonis Vicarii *Goldastus* etiam *Sprenger, Hermes* & plurimi præter hos agnoscunt.

(z) Quis omnes Vicarios comme morabit, quia diversis ex causis ita ab Imperatoribus appellari impetraverunt. Alii absente Rege extra ordinem inter certos fines vicariam administrationem acceperunt, alii leges condendi & judicia exercendi potestatem hoc titulo acceperunt, veluti vicibus Cæsaris in hoc jure fungerentur. Alii alia de causa vicarii dicti sunt. Plerorumque Vicariatus etiam dudum expirarunt. De Vicariatu Ducum *Silesiæ* *Goldastus* legi potest de *Bohem. L. 3. c. 16. n. 27.* Sed nec ipse inde quicquam in præjudicium provisionis

LII.

Moravia.

Moravia etiam *Goldastus*, *Hermes*, *Vitriarius* (a) mentionem faciunt, neque video, cur exemptam eam credere debeam (b). Hi quoque, qui eximunt, si causæ inde ad Imperium deferantur, Saxonico Vicariatus locum relinquunt (c).

LIII.

De Vicariatu Saxon. in partibus Sueviae.

Supra dixi, *Sueviam* olim suos Vicarios habuisse, extincto Ducatu provisionis jus ad eos, qui supererant ex primo Ordine Duces, Palatinum & Saxonem esse translatum (d). Inde si Rex velit, *super omnes Svevos Saxonem constitui Vicarium posse Jus Alemannicum* pronunciat (e). *Aurea Bulla* in partibus *Sueviae* Palatinum proviforem declarat, quo ipso tamen vix est, ut omne jus Saxonis existimem esse sublatum (f). Sed hoc alii expediunt. Id, dum *Sueviae* mentionem facio, omittere nequeo, *Marchiones Misnae universum Sueviae Ducatum* jure sibi asse-

rere

visionis Saxonice infert, quam Silesiam complecti alibi profitetur. add. *Conring. d. Finib. l. 2. c. 29.*

(a) *L. 1. t. 12. §. 6.*

(b) Causas cur Saxonico Vicariatus adscribi debeat, jam dicere occupavimus *præc. §§.* quas hic nolumus cum medio lectoris repetere.

(c) *III. COCCEJ. c. 16. n. 12.* *Moravicas* terras ad Vicarium Saxonicum refert, sed eo tantum casu, si quid inde ad Imperium deferatur. nam exemptam eam æque ac *Boëmiæ* censet. Rationes, quas urget, expendimus *tb. 50. lit. 1.* Quæ cum pro *Boëmiæ* ne quidem sufficiant, multo minus ad eximendam *Moraviam* valent, quæ regnum esse dudum desit, nam terras omnes, quibus Rex præsit, quis Vicariorum provisioni audeat detrudere, cum Saxonis Vicariatus *quatuor Regum* provincias complectatur?

(d) *tb. 8.*(e) *Cap. 42. §. 6. Git imē der Kunig*

den Gewalt den Ban zulihen, so het der Marschal Recht uber alle Swoben.

(f) Primo enim A. B. Palatinum non per omnem *Sueviam*, sed in eius partibus tantum Vicarium esse voluit. dein fines Vicariatus alii absente Rege, alii eo defuncto esse possunt, ut dubium sit, an non illo casu Saxonis jus salvum sit; saltim quoties Rex ex finibus Imperii discedit, integrum ei esse videtur, jus administrationis per *Sueviam* *Marschallo* relinquere. Neque enim apparet, cur terræ Ducatus illius soli *Rhenanæ* provincie Domino subesse debeant, alteri ex primo Ordine Duci non æque. Quid si ex *Suevis* iure olim Saxonico aliqui usi fuerint? Quid si Ducis Saxonie Imperio terræ juris *Suevici* subjiciantur? Sed nolo quicquam definire, cum mihi sufficiat indicasse casus, cur dubitem, an omne jus Vicario Saxonico in *Svevos* sit ademptum. (g) Oc-

retere potuisse (g), nisi injuria temporis hanc non minus, quam reliquam *Conradini* (h) hereditatem eos adire impediisset.

LIV.

Ex eodem *Juris Alemannici* capitulo apparet, *Francos* ^{Et Fran-} quoque non omnes quidem, sed illos tamen, ^{cia.} qui *juri Saxonis subditi* sunt, *Vicariatui* etiam ejus subfuisse. Hoc verba innunt: *Und über alle Francken wer der ist, der sein Untertban ist* (i). Quod tantum abest, ut *Bulla Aurea* immutatum sit, ut nunc quoque *Vicariatium Saxonicum ad eas Francorum terras*

F 2

porri-

(g) Occiso nefarie *Conradino* Rege Siciliae in omnes terras, quae ad foeminas, & qui inde descendunt, transmitti possunt, succedere debebant *Misnae* Marchiones *Frider. II.* nepotes, *Conradini* consobrini. *Suevia* vere *Ducatum foeminini feudi rationem habuisse* inde colligo, quod & *Hermannii* generis *Ludolphus* uxoris causa eum obtinuerit & *Bertoldus*, quod *Rudolphi* filiam duxisset, pariter successionem postulaverit. Conf. *VERPOORTEN de Ducatibus Germania* §. 16. Interregni & domesticae turbae obstiterunt nostris, quo minus jus suum persequerentur. Postea *Rudolphus* in filium transferre conatus est *Ducatum*, qui tandem in partes distractus primi Ordinis *Ducatus* loco censi desit.

(h) In utramque puta *Siciliam*, quam olim regno live *Ducatus Saxonicum* potius, quam Imperio junxit *Otto I.* aut, si mavis, *Ildus*. Inde tamen paulo post distracta est. Extincto eo, quem diximus, *Conradino*, Marchiones *Misnae* ei succedere fas erat. Foeminae enim regna illa ad successionem admittunt. Jus nostrorum Principum *Pevill. Aut. des Europ. Her. p. 263. Magnif. HORN*

c. 4. §. 12. *BIRGHDEN. de Praescriptione pratenfion. Illustr. Et GIOVANI. in Saxon. cap. 3. num. 31.* asserunt. add. *Autor des Rechts des Chur-Haufes Sachsen auf die 2. Königreiche Sicilien und Neapolis.* qui ab instituto aliena immiscet, & liberiore & acerbior, quam res postulabat, scribendi genere usus videtur. Quae *Birghdenus* & *Giovanni* fama aliorum accepisse se tradunt, fabulas esse, & inanes coniecturas puto. Caeterum ipsum jus certius est, quam ut in dubium vocari queat. Neque enim, qui intempestive jus suum non persequitur, illud statim dereliquisse debet censeri.

(i) Non agunt haec verba de casu extraordinariae provisionis, sed quo jure per *Thuringiam*, *Saxoniam* & *Hasniam Saxo* *Vicarius* est, eo etiam iis *Francis* praest, qui ipsi subditi sunt. Quinam vero illi sunt *Franci die sein* (*Saxonis*) *unterthan sind?* Miror verborum illorum eruditissimum interpretem *Schilterum* nullam habuisse rationem. *Landgravius Thuringia*, *Burggravius Wettimenses*, & quos plures commemorat *Speculator* *Francos* esse dicit *Prefat. Jur. Provincial.* id est, ex *Francia* oriundos.

porrigi existimem, *quas aut Duces tenent Saxoniae (k), aut jure Saxonico eo, quo condita est Aurea Bulla, tempore usas esse constat (l).*

LV.

De Porus-
sia.

Olim & *Porussia* jure Saxoniae vixit, & forte Saxonico Vicariatus quoque subsit (m). An hodieque subsit, aut subsesse debeat, non ausim ego definire. Expediendum enim est, *an Jus Imperii in eam salvum sit, si de Interregis potestate dicere velis sententiam.* Quod vero in medio relinquimus (n). Id

dos. Sed patriae vix est ut in *Cap. 42. Alemanni juris rationem haberi putem. Neque de Francis, qui feuda aut terras Saxoniae tenent, agi probabile est: nam per Saxoniam & Thuringiam Archi-mareschalli procuratorum patere jam monuerat Compilerator. Superest ergo, ut ad eos textum Jur. Alem. referamus qui distractis Franciae terris aut jure Saxonico usi sunt, aut in ditionem Ducis Saxonici pervenerunt.* Sed haec salvo aliorum judicio scripta esse volumus.

(k) Hinc si vel maxime SPRENGER *Fontib. p. 152. seq. dederim, tractum Coburgicum & Hennebergicum ad Franciam, non ad Saxoniam olim pertinuisse, non dubitaverim tamen, has & reliquas, quae Ducibus Saxoniae parent, provincias Saxonico Vicariatus vindicare, quia Domui Saxonicae quaesita sunt, quae Viri Illustris COCCEJI p. 307. sententia quoque esse videtur. Quis enim dubitet, quin verba juris Alemanni *der sein* (Ducis Saxoniae) *Unterthan ist*, ad has terras commode possint referri?*

(l) Hac ex causa ARUM. *Vol. 5. Disc. 7. c. 3. n. 12. p. 320.* Palatinum tradit tantum in ea parte Franconiae Vicarium esse, in qua Jus Franconi-

cum viget, idque ex verbis in *jure Franconico* colligit. Ego supra illa verba non ad leges, sed ad provinciam retuli. Nullus tamen ambigo, quin Vicariatus Saxoniae etiam ad eas Franciae terras extendi debeat, quae legibus Saxonice olim paruerunt: hoc enim verba Aureae Bullae postulant, *ubi jura Saxoniae servantur.*

(m) *Goldastus* certe ita tradit, & plures alii, qui ejus auctoritatem sequuntur.

(n) *Porussia ab anno 1226.* per duo secula, & quod excurrit, Imperio contra controversiam paruit. Postea Poloni sapius jura Ordinis Teutonici in dubium vocarunt. Sed *Dux Saxoniae Fridericus Alberti filius* strenue Imperii & Equitum, quibus praerat, causam egit. Neque postea, ubi *Albertus Brandeburgicus* cum Rege avunculo suo transegit, Ordines Imperii jus suum dereliquerunt. Quin in bannum declaratum esse eam ob causam *Albertum SLEIDANUS* refert *L. 8. c. 22.* a quo ne quidem anno 1609. absolutionem successores Alberti obtinuisse, Vice-Cancellarius Imperatoris *LIPOLD von STRAHLENDORFF* tradit in dem *Bedencken über die Jälchischen Für-*

Id certum est, eos falli, qui, ex quo Borussia Ducem eundemque Marchionem Brandenburgicum Regem salutavit, omne jus suum deseruisse Imperium censent; aliud enim & Imperatoris & Regis quoque Borussia litteræ testantur (o).

LVI.

Tanta fuit quondam Saxonici juris in *regno Poloniae* auctoritas, ut ad tribunal Magdeburgense provocaciones frequentes interponerentur (q), quibus lege publica demum anno 1356. *Casimirus* Rex interdixit (q). Sed sicuti in eam

F 3

Impe-

Fürstenthum und Lande. Ipsos Electores Brandenburgicos, cum a Polonis investituram petierunt, de jure Imperii protestatos esse, IRENICUS *ad Burgoldensem* P. 3 p. 86. commemorat. Per pacta Velaviensia jus domini directi Polonia remisit. Inde Germania eam restitutam esse censet *PACIE. a LAPIDE* *Strictur.* *ad Monz.* p. 78. Quod sicuti non asseruerim, ita nec PFEFFINGERO *ad Vitriar.* L. 2. t. 4. §. 3, lit. a. & iis, quos ille sequitur, concesserim, post illam transactionem tacite Germanos prætensionem pristinam dimisisse. Itaque an adhuc finibus Imperii contineatur Borussia, alii viderint. Dixi enim, me in medio hanc controversiam relinquere.

(o) BRUNNEMANNUS c. 3. §. f. alique scribunt, omne jus, quod unquam habuerit, prorsus amisisse Imperium, ex quo Potentissimum Electorem Brandenburgicum Imperator, Electores, Ordines plerique salutaverint regem. Sed hæc frustra tradi inde constat, quod non ipse modo Rex salvo cujuscunque jure se coronam Regiam suscepisse publice testatus sit,

sed & Imperator declaraverit, se salvo Imperii & Ordinis Teutonici jure, Regio titulo Borussia Ducem compellasse, vid. *Dn. Horn. Jus Publ.* c. 4. §. 28. pag. 57.

(p) Polonia aut nunquam Imperio paruit, aut dudum certe parere desit. Eo quoque tempore, quo absque dubio sui juris fuit, *leges Saxonicas retinuit*: ne *Casimirus* quidem usum earum omnem sustulit; Ergo ex libera juris Saxonici receptione inferri nequit ad ius Vicariatus, quod restrictum est ad terras, quæ in finibus sitæ sunt Imperii Germanici. Cæterum *Episcopus* plerosque *Poloniae* olim *Magdeburgico* Archi - Episcopo subfuisse ex *Bulla Innocentii II.* constat, quam *SAGITTARIUS* *Histor. Northerii* §. 32. exhibet; neque tamen inde consequitur, eam ob causam Saxonicum jus fuisse receptum. nam dudum exempti fuerunt illi Præsules salva juris Saxonici inter Polonos auctoritate.

(q) Legi meretur Edictum Regis *Casimiri*, quod integrum *DLUGOSIUS* exhibet *Histor. Polon.* L. 9 p. 1105. edit. noviss. quam *Illustris L. B. ab HUYSSSEN* curis debemus.

(r) De

Imperio jus nullum competit, ita nec Interreges provisionem suam ad has terras extendunt. Nunc ea felicitate fruitur, quod Regem vicibus Imperatoris Romani defungentem veneretur, cui fortunatum & diuturnum imperium omnes boni precantur.

LVII.

Livonia. De *Livonia* in utramque partem potest differi. Sed plerique tradunt, Germaniam jus suum in eam dudum dereliquisse (r). quare nec Vicarii Imperii Imperatoris auctoritate in his terris funguntur.

LVIII.

Russia. *Russiam* frustra puto a *Sprengero*, aliisque commemorari. Incerta dubiaque sunt omnia, quæ de usu juris Saxonici in illis terris nonnulli conjiciunt (s). Plenissime sui juris *Russia* est, non nisi Domino & Imperatori suo paret, sub cujus sapientissimo & felicissimo imperio quotidie magis magisque efflorescit.

LIX.

*De terris
utrique
Vicario
subjectis.*

Hæc de terris Vicariatus Saxonici attulisse sufficiat (t). Cæterum eas, quas *Aurea Bulla* neutri Vicario addixit, provincias utrique subesse, nisi exemptio doceatur, supra meminisse monuisse

(r) De acquisito & amisso in *Livoniam* Imperii Romani jure Diatriba JO. HENRICI BOECLERI extat. Eniferi Ordinis historiam SCHURZFLEISCHII dederunt. Post annum 1776. spem omnem *Livoniam* recuperandi Imperium abjecisse plerique censent. Quare quamvis eam quoque post GOLDASTUM plures alii ad terras Vicariatus Saxonici referant, nunc tamen jus hoc saltem quiescit. An jus omne Germaniæ extinctum sit, an spes eam denuo Imperio jungendi supersit, alii desinant. Ego judicium meum suspendo.

(s) SPRENGER. *Fontib.* p. 149. aliique. Adscriptam *Russiam* ditioni Præfulis *Magdeburgici* fuisse, HUEBNERUS de *Prim. German.* c. 2. §. 25.

memorat. Sed & addit, propositum successu caruisse, nec unquam *Russos* Majestatem Imperii Germanici agnovisse. Itaque parum abest, quin ad fabulas referam, quæ de juris *Magdeburgici* in his terris nonnulli tradunt auctoritate.

(t) Non singulas quidem terras, in quibus jus Vicariorum Saxonico-rum viget, commemorare nobis integrum fuit, sed, quas omisimus, extra controversiam forte pleraque posita sunt. Nec institutum nostrum patitur hæc fusius persequi, forsitan tamen secundis curis supplere reliqua, quæ omisimus, licebit. Nunc facile veniam Lectoris speramus nos impetraturos, cum in argumento, quod plerique vix attingunt, & sicco, quod plerique pede

nuisse (v). Quam de Oceano *Bechmannus* quaestionem movet (w), usu forte nunc destituitur, ut causa non sit, cur ei mulctum immoremur (x). *De Oceano Germ.*

L X.

Neque liti nos eorum interponemus, qui *utrumque Vicariatum inter se contendunt*, & cujus provisionis fines latius pateant, sollicitè rimantur (y). Nam & difficile est terras & fines utriusque Vicariatus invicem conferre, & nobis sufficit, ex his, quæ diximus, *de amplitudine Vicariatus Saxonici* constare. Ita-que finimus, nec quicquam addimus, nisi votum, quo per omnes terras juris Saxonici, Regi nostro Interregi Germaniæ felix fortunatumque Imperium devoto pioque animo apprecamur. *De Utriusque Vicariatus amplitudine*

pede prætereunt, fuerimus versati, & occasionem saltim præstiterimus aliis, plenius singula & accuratius explicandi.

(v) Ubi de *Bavaria & Austria* dixi. Italiæ eadem est ratio, ut alio loco monui, quicquid plerique in contrariam partem contendant.

(w) *Instit. Jur. Publ. L. 2. c. 10. §. 9.*

(x) Quærit *BECHMANNUS*, an Vicarii in Oceanum German. imperium habeant & potestatem. Sed non solvit quaestionem, quam proponit, verum ad controversiam de domi-

nio maris delabitur inter *Grotium & Seldenum* agitatum. Ego quicquid in Oceanum juris Imperatoribus competit, id Vicario etiam saluum esse credo. Sed de exercitio juris, & utrum Imperatores ipsi maris dominium aliquod sibi vindicent, fateor mihi non constare.

(y) *LIMNÆUS, DIETRICUS & SPRENGERUS*, ac post hos alii ea de re egerunt, Mihi satis est fines utriusque vicariatus delineasse, unde de cujuscunque amplitudine judicium ferri possit.

T A N T V M.

AD

AD NOBILISSIMUM DOMINUM

CANDIDATUM, AMICUM DILECTISSIMUM.


Nefas putarem, Tibi, clarissime MARTINI, non gratulari hoc tempore, quo cursum studiorum Academicorum absolvis, & honores expectas, quos diligentia tua meruit. Ad laudes tuas pertinet, quod domestica exempla imitaris, & tum vestigia paterna premis, tum etiam omni conatu id agis, ne indignum te reddas patruo tuo, excellentissimo illo Jcto, qui jam ante hos triginta quinque annos scriptis publicis inclaruit, ordinem judiciorum commentariis instruxit, ac eos subinde auxit, maximamque apud omnes, per hos labores gratiam inuit, qui in foro & schola versantur. Est hoc quod tibi apud omnes amorem conciliat, & spem facit, fore, ut etiam ex Juris studiis laboribusque publicæ rei multa commoda sint expectanda. Transis ex schola in forum, & auditoria Academica, cathedrasque cum tribunalibus commutas: coram quibus si eadem diligentia versaberis, qua apud nos usus est, nullum dubium, quin recte & ordine prosperoque successu munere honestissimo Advocati functurus sis, viamque ad majora tibi paraturus. Quæ omnia, ut tibi, & tuis, & patriæ, bene feliciterque eveniant, paucis verbis, prolixo tamen affectu, ex animo opto, & precor. Vale, & feliciter ad Sudetos tuos redi, in illisque omnia ex voto age!

CASPAR HEINR. HORN, D.

21







B.I.G.

Farbkarte #13

B. V. 29
 E
RIS
AXONICI
 on
 S Sächf. Rechts /
 nd
 chfische Vicariat
 n Enden /
 FIFICENTISSIMO,
 NCIPE AC DOMINO,
CO AVGVSTO,
 E REGIO,
 LIQUA
 ERAMINE
GRIBNERI, P.P.
 RO-RECTOR.
 MMIS IN UTROVE
 ONORIBVS
 BR. M DCC XI.
 Q. C.
 ER ET
 TOR
RTINI, Grunhanensis Mifn.
 ELO GERDESIANO.

